# BOCCACCIO BUCOLICA CARMINA (2790 vers)

**Boccace adopte ici la graphie originale du latin mise au point par son contemporain Pétrarque. Pour des raisons techniques, la graphie qui s'est imposée aujourd'hui a dû être rétablie dans le texte.**

## GALLA

DAMON

B_1 v.1 Tyndare, non satius fuerat nunc arva Vesevi
2 et Gauri silvas tenera jam fronde virentes
3 incolere ac gratos gregibus deducere rivos
4 quam steriles Arni frustra discurrere campos ?
5 Quid stolidus moneo ? Prudens es. Dic tamen, oro :
6 quae te cura gravis jussit superare nivosas
7 alpes et fluvidas valles transire coegit ?

TINDARUS

8 O Damon Damon, quantum sibi quisque beavit
9 qui potuit mentis rabidos sedare tumores
10 et parvas habitare casas, nemora atque remota !
11 Quod nequeam, durae de me voluere sorores.
12 Hinc igitur tauros curo deducere silvis
13 Alcesti : sic atra jubet voluitque cupido.
14 Sed quid tristis ades ? Fervet nunc limpidus aer
15 et fugiunt virides inter spineta lacerti.
16 Quid tu solus agis ? Quid pascua torrida quaeris ?

DAMON

17 Ne rogites : stat corde mori. Mors ipsa quietem
18 sola dabit fesso ; mors est inimica laborum.
19 Tuque tuus facito sis, fac quoque semper amores
20 effugias volucres, et diras sperne pharetras.
21 Quo Fortuna trahet miserum, moriturus abibo.

TINDARUS

22 Esne tui compos ? Paulum requiesce sub antro ;
23 est equidem veteris mihi grandis copia bacchi.
24 Perge, precor, Phorba ; crateras fronde corona ;
25 en pendent ansis patulam, si cernis, ad alnum.
26 Interea quae dira lues mihi pandito, Damon,
27 te cruciet. Leviat mentes recitasse dolores.

DAMON

28 Quis neget ? Audieram solitum cantare Menalcam.
29 Ast ego si dicam, mecum lacrimaberis ipse.

TINDARUS

30 Sic volo. Quem laetis tantum dicemus amicum ?

DAMON

Nympha fuit silvis totis pulcherrima nostris ;
et quantum lauro cedit funesta cupressus,
cupresso myrtus bicolor myrtove myricae,
Tyndare, huic tantum cedit Galatea Myconis.
Haec facilem placidis quondam me cepit in annis
has inter fagos, pulchris comitata Napaeis.
Heu ! quibus haec oculis, roseo suffusa rubore,
impulit in pectus flammas quibus uror, et auxit
blanda nimis ! Nobis volucres nunc ferre sagittas,
nunc solita et catulos, nunc retia tendere cervis,
dissuadere truces ursos ac dentibus apros
ne sequerer saevos, lata et venabula furtim
surripere ut vacuo lenes apponeret arcus.
Indignor memorans, quercus mihi testis amorum est :
amplexus centum cui junximus, oscula centum,
nunc alios, oblita mei, sic temperat ignes
ut moriar. Permitte mori ; moriemur amando.
Sed videant silvae montes arbusta fluenta
et memores nymphae reddant pro munere munus.

TINDARUS

Absit, mi Damon ! Nimium falluntur amantes.
Quid nosti cur ista feras ? Stat saepe sub umbra
ignis ; dum pallet, juvenis tum fervet Adonis.

DAMON

Erras, non sic est : fraus haec notissima nobis.
Antrum grande manet silvis sub colle virentis
montis Ugi, quo forte greges contraxerat Aegon,
et pastos gracili solus refovebat avena.
Huc ego dum, Phitia pecori custode relicto,
errans advenio (sic me malus ardor agebat)
praesensi timuique dolos. Nam mixta puellis
Galla choros antro festos lasciva trahebat ;
nec secum Aegoni quicquam cur luderet antro.
Pamphilus interea dum cogeret inde capellas
ad salices, tacitus meditans sub rupe sedebam
invisus. Petiit verum ille secreta salicti
et, stipula doctus pariter fidibusque canoris,
carmen inauditum cepit : tunc sistere silvas
cantu et stare capros et ludere saltibus haedos
vidisses. Quid multa feram ? Jam certus amorum
in longum tenuit donec lasciva per umbras
venisset juvenis. Timidos quis fallet amantes ?
Venit et illa quidem catulis sociata duobus,
illis illudens manibus succinctaque ramis,
voce ciens comites ne forsan longius iret
Pamphilus. At postquam coram lenique sub umbra
ilicis argutae consedit, et ilice teste
pastorem flagrans coepit spectare canentem,
o ! sibi quos oculos, actus quos quosque reflexus
auricomi capitis, quos risus quosque rubenti
obtulit amplexus facie ! Vix illa profecto
abstinuit quin, visa prius, se conderet altis
in silvis. Nec plura loquar. Mors, eripe flammas.

TINDARUS

Nequicquam lacrimas fundis. Narrare solebat
Tityrus, heu ! nobis quondam, dum dulcior aetas :
"Non lacrimis satiatur Amor, non rore cicade,
non cythiso pecudes aeque nec prata fluento".
Quid facies igitur ? Flebis ? Quas sordidus ulmis
abstulit autumnus cernis ver reddere frondes,
et zephyrus placat quas undas turbidus auster
miscuit, et pandos delphines ludere saepe
vidimus in pelago quod sorpserat ante carinas.
Sic peragit Fortuna vices : nunc livida vultu
prosternit miseros, relevat nunc fronte serena.
Est reditura dies qua dicas, non tibi primus
pastorum silvis sit ; fletus pone, precamur.
Nam si non redeat, sunt et medicamina mille :
carmine saevus amor sacro revocatur et herbis ;
carmina sunt nobis, et gratas novimus herbas
jamdudum. Veterem Phorbas jam portat Iacchum.

DAMON

Cum capreis pascetur ovis, lupus acer hibisco,
gurgite cum vultur vivet cumque aethera piscis,
cum freta sulcabit vomer, cum pascua navis,
tunc servare fidem incipiet lasciva puella ;
carmine tunc Gallam revocabimus, arte vel herbis.
Idalium petii culmen sanctumque Cithaeron
et Paphia myrteta dolens, oscillaque ramis
suspendi, pia thura dedi, precibusque potentes
tentavi nymphas, votis superosque vocavi
postque preces supplex ingentia munera misi ;
incassum : crudescit amor, crudescit et ipsa.

TINDARUS

Heu mihi ! nequicquam defers Amaryllidis olim
castaneas, Phorba, nobis, bromiumque vetustum.
Frons cecidit viresque animi ; praecordia dirus
urit amor misero : saxis, heu ! Verba movemus.
Attamen exspecta si cesserit impius ignis.

DAMON

O quantum natura parens tibi, Pamphile, rerum
posse dedit nemori ! Tu sertis nectere flores,
tu cantu recreare greges fluviisque quietem
ponere, tu validas ornos cautesque movere
novisti, et mulcere deos et flectere montes :
o quantum ! Neque saevus amor sua jura negavit
ipse tibi ; nam velle tuo, ni fallor, habenas
nunc manibus, nunc mente regis, quod forte Tonanti
non licuit quondam, silvis dum captus amaret.
Quis, nisi tu, placidam fusca sub veste per arva
Aegonis Gallam nuper traxisset in antrum ?
Quisve inter salices et densa vepreta volentem ?
Te, Silvane pater, precor haec : fac cernere possim
quos pectit croceos crines per tempora canos,
et rugis roseas plenas pallescere malas,

et tacitis nemorum jaceat neglecta sub umbris,
ut ludam tremulos gressus oculosque gementes.
Hoc si forte neges, patiaris ut ultima saltem
me rapiat mors atra, meo positura quietem
fervori, corpusque tegant sub caespite sicco
pastores miseri, signent et carmine bustum.

TINDARUS

Trux Amor, et juvenum semper certissima pestis.
Heu ! cecidit. Lymphas manibus portate recentes,
o pueri, si forte queam revocare dolentem.

## PAMPINEA

PALEMON

B_2 Quid merui ? Duris fustemne securibus olim
concessi, Silvane senex, aut fontibus ursos
segnes immisi, nymphas laesurus agrestes,
ut crucier misereque trahar moriturus in arvis ?
Nunc tacet omne nemus, subeunt vineta cicadae,
omne pecus radios cessat, cantare volucres
desistunt et colla boum disjungit arator
fessus et umbrosos quaerit per rura recessus :
me miserum male sanus Amor per devia solum
distrahit et longos cogit sine mente labores
ut subeam victusque sequar vestigia nondum
cognita Pampineae. Dixi "Sequar" inscius, imo
perscruter ; nec cura potest retinere peculi
quin montes celsos densosque per invia lucos
discurram, tristisque ferar referarque ferarque
quo jubet ire furor, prospectans undique numquid
venantum turmas videam nubemque per arva
surgere pulveream seu capras vertice pulsas
currere et auritos lepores ; si demere campis
retia, si sparsos aeque revocare ministros
atque canes spectem. Sed frustra lumina tendo :
nusquam Pampineam video, vestigia nusquam.
"Pampineam" o quotiens nequicquam vocibus usque
in caelum totis clamavi vallibus imis,
"Pampineam" et totiens valles dixere sonore !
O quotiens deceptus ego surgentia longe
arbusta aggeribus zephyro concussa putavi,
utque jubebat Amor redeuntem credidi et ultro
obvius in vacuum veni ! Sic dirus amantes
fecit amor pronos ac omnia credere jussit.
Silvestres nymphae, colui quas saepe per umbras,
dicite cur homini reliquis animantibus alma
indulgens natura minus. Nam cetera possunt
indulgere suo, nimium si fervet, amori :
stant ducibus pecudes, tauro dilecta juvenca ;
turtur in arboribus socium sociumque columba
turribus insequitur : pastori grata voluptas

tollitur, atque fugit miseros quos pulchra puella
traxerat in casses suaviis et murmure dulci.
Quid, dulces satyri, faciam, faunique potentes ?
Quid faciam ? Quid pulchra juvant armenta ? Quid antra ?
Quid nemora aut valles ? Uror sine mente sub umbra ;
sole sub ingenti tristis tremor occupat artus.
Hinc amor infestat dubium timor arguit illinc
ne vel dura silex ictu vel belua morsu
laeserit incautam vel fessam saeva viarum
asperitas grandisque labor fortasse moretur
vel, quod fata vetent, non quis temerarius illam
traxerit invitam rapiatque per oscula mentem.
Novimus : insidias posuit persaepe Cupido
silvarum in latebris, et longa silentia ruris
non sine labe manent. Quis nigras ire per umbras
succinctam et genibus nudam ventoque solutis
crinibus inspiciet nympham myrtique virentis
conspicuam serto, qui non rapiatur in ignes
extemplo Veneris rapiatque quod optat in usum ?
Dant aditus vires animis et opaca viarum.
Praeterea non Aegla fuit, non culta Neaera
pulchrior ; ac posito modicum sit fusca, quis alter
aptior est silvis color ? His quoque Juppiter olim
saepius in lucis captus, sic Phoebus et Argus.
Sed nullus timor iste mihi : nunc atria caeli
caelicolae servant ; dubium non rufus Alexis
aut Corydon donis soliti hanc tentare vicissim
detineant : potuere deas jam flectere dona.
Heu mihi ! cuncta meis obsunt venientia votis.
Exitium stabulis lupus est, sic messibus imber,
fructetisque novis grando, fetisque capellis
est Boreas : mihi saevus Amor, quo distrahor uror
impellor crucior volvor rapiorque ferorque,
nec scio quid faciam. Verum haec sententia cordis :
hanc animam exuere et placide haec dare membra quieti.
Heu mihi ! nonnumquam hos cornix expulsa labores
dixerat a quercu, sed mens haec laeva neglexit.
O nostrum praedulce decus, qua parte vagaris
hos inter montes ? Quae te, mea, lustra ferarum
accinctam pharetra retinent ? Quas incolis umbras,
quave jaces longo forsan nunc victa labore ?
O utinam fortuna mihi tam grata fuisset
ut comes ire tibi possem ! Quis retia cervis
ponere me melius, quisnam venabula porcis,
quis canibus dare lora magis, quis flectere retro
cornua Dictaeis olim lassata sagittis
et duros arcus validis curvare lacertis
ac telis agitare capros cognovit agrestes ?
Nasilus in silvis docuit me nempe remotis.
O mihi si tantum cupido Phoebeia faveret,
ut minimos inter pueros, dum solis ab aestu
aufugis, unus ego possem numerarier umquam :
putre solum lymphis premerem, juncoque palustri
omne latus (constravissem) ; post gramina pomis
lacte novo et veteris bacchi cererisque canistris
ornarem jussus ; praestarent inde myricae

seu myrtus vel lenta salix in caespite lectum.
O tibi quot flores, violas quot quotque rubentes
narcissos ferrem ! Quis flores non det amanti ?
Inde graves animis didici depellere curas
et tenues somnos lepido revocare susurro
fabellisque novis, demum prohibere latratus
voce canum et culices facie removere flabello.
Haec faceret Corydon, faceret vel rufus Alexis,
seu quem tu sequeris Glaucus quemque ipsa bubulcis
praeponis campisque tuis ? Cur ergo petenti
surripis optatos vultus ? Cur dulcia differs
oscula ? Cur tantos fugiens frustraris amores ?
Quaesivi persaepe, miser, qua parte napaeas
pastoresque pios ires ; respondit Opheltes :
"Pampineam Glaucus nuper deduxit in antrum :
tu montes et fusca petis nunc lustra, Palemon".
Heu miser ! impulsus cecidi cessique dolori,
et victus jaceo scabrosae vallis in imo.
Delia, virgineum potuit si flectere pectus
Endymion, si saepe tuas celebravimus aras
sique tibi lentos fagis suspendimus arcus,
in me flecte tuas iras, me confice telis.
Quid prodest placidum calamis superaddere carmen ?
Quid labor assiduus ? Quid saltus ire per altos ?
Excepit segnis Glaucus quem vepribus altis
excivi studio leporem captoque potitur.
Ast ego delusus plorans effundo querelas
has inter cautes et saxa ruentia ripis
exesis, quas aura velox per inane resolvit.
O veteres quercus, ilex annosa nemusque
perpetuum, voces miseri Palemonis amaras
suscipite et morte hos agiles mollite dolores !
En clausere dii, nymphae clausere procaces
supplicibus votis aures, clausere semones.
Si qua igitur vobis pietas sub cortice duro est,
irruite et grandi misero sub pondere mortem
ferte, precor, si dulce fuit sitientibus olim
exoptasse leves pluvias, servasse virentes
a pecorum morsu frondes ramisque bipennes
obstasse ; haec est sola meos quae possit amores
et male complexos quondam dissolvere nexus.
Quid mihi vita magis ? Glaucus bona nostra moratur,
is tenet atque trahit : quid vitam tristis in annos
extendis lacrimans ? Negligis quid perfida tantum,
mors orata ? Veni, venias precor, impia, nostros
exime quos nequeo juvenis jam ferre furores.
Advenies tandem ? Sed tu quae dulcia falce,
dum tibi solus eram, signabas cortice fagi
furta, meos deflens, dum cogerer ire, recessus
amplexuque morans, summum jam munus amantis
tolle volens : facito juvenis ne tempora perdas.
En redeunt flores, redeunt et gramina pratis ;
tempora non redeunt, quae dudum stulta Lycoris
in vacuum flevit moriens ac obsita canis.
Nos morimur dum, dira, jubes, pejora futuris
linquentes, credo ; flebit mea Testilis usque

150 vivet, et ornabit bustum lacrimosa corollis.
151 Tu flores titulumque necis concede dolenti,
152 si quondam placui, si te ferventer amavi.
153 Ast mihi quod restat lucis te consequar atque,
154 dum montes silvasque coles et roscida rura,
155 ipse colam montes, silvas et roscida rura.
156 Haec secus umbrosas ripas quis defluit Arnus
157 lenis ad Alpheos, prostratus mente Palemon
158 deflebat lacrimans. Ast ocior Hesperus haedos
159 egit ut ad saeptas traherem caprosque Melampus.

## FAUNUS

PALEMON

B_3 v.1 Pamphile, tu patrio recubas hic lentus in antro,
2 dum fremit omne nemus pulsum clamoribus aegrae
3 Testilis, et parvi vacuus nunc omnia pendis.

PAMPHYLUS

4 Cantharus attrita nimium, puto, lapsus ab ansa
5 terruit hunc. I, siste sues, ne gramina campis
6 evellant rostris ; et silvas mitte sonantes.

PALEMON

7 Marcidus externo credis tibi forsan Iaccho
8 alloquar in somnum presso ? Auribus accipe voces,
9 si patitur torpor, patitur si grata Lycisca.

PAMPHYLUS

10 Pace precor nostra sedeas, ac ista sinamus ;
11 ignaroque aperi, quaeso, percepta, Palemon.

PALEMON

12 Tempus erat placidum ; pastores ludus habebat
13 aut somnus lenis ; pastae sub quercubus altis
14 ac patulis passim recubabant lacte petulcis
15 ubera praebentes natis distenta capellae ;
16 ast ego serta mihi pulchro distinguere acantho
17 querebam, servanda tamen dum fistula gratos
18 nostra ciet versus Mopso, cui tempora dignis
19 nectere concessum, lauro et vincire capillos ;
20 otia cum subito rupit vox improba maestae
21 Testilis, "O - clamans - quae te vesania cepit ?
22 Ursos quid sequeris montana per ardua, Faune ?
23 Non te cura tui retinet ? Non parva tuorum
24 edis mixta cohors cornu ludentibus arvis
25 natorum ? Non matris amor ? Dic, obsecro : nescis
26 qualis in hos rabies circumstrepat atra luporum
27 Allobrogum ? Credis tantis obstare periclis
28 (femina sum) possim paucis sociata molossis ? "

PAMPHYLUS

Semper in adversos saltus fractasque ruinas
ire cupit Faunus, monstra atque minantia mortem
quaerere. Quid tandem ? Tenuit vox ire volentem ?

PALEMON

Hoc ego quaerebam veniens. Sed Moeris, ut opto,
ecce venit tardus baculoque innixus adunco,
nescio quid secum meditans. Salveris, amice !
En optate venis. Quis nostris, obsecro, nuper
rumor inest silvis ? Nostin quae Testilis ire ?

MERIS

Quis petis ? Est usquam crebras qui nesciat iras
Testilis et Fauni ? Nequeunt subsistere quercus,
depereunt fessae frondes clamoribus : et tu
si cantet philomena petis, si ruminet hircus !

PAMPHYLUS

Saepius has quondam memini risisse querelas.
Sed tu, Moeri, decus nostrum, modo pone galerum
et baculum, mecumque sede lucemque severam
hanc fugito. Nullae veniunt de montibus umbrae ;
alta crepidinibus terrae petiere lacerti.
Hic nemus et gelidi fontes et mollia prata,
hic hederae viridis tectum pictumque corymbis
antrum, quo magnus quondam requievit Amyntas ;
et pariter calamis una cantabimus omnes.

MERIS

His ego cantabo silvis ? Nemus omne cicadis,
dedecus in nostrum, milvis corvisque relictum est.

PAMPHYLUS

Quid tandem ? Corvos observent mente subulci ;
nos equidem nobis Mopso Musisque canamus,
et placidum gremio servabunt sidera carmen.

PALEMON

Cura gregis parvi, quem forsan mergere lymphis,
dum calor arva tenet, cupit, hoc nunc carmine Musis
et nobis placuisse vetat. Sine, quaeso, revisat
delirus Cydipem tenuesque recenseat haedos.

MERIS

Est Cydipes nobis niveos quae contrahat agnos
in fontem cytisumque paret vaccisque salicta ;
et surgent celsae salso de gurgite pinus
ante quidem, et blandae venient ad ovilia tigres,
atque leo cervas fugiet, lupus atque capellas,
quam mihi non animo Musis servire. Sed ecce,
si tibi tantus amor silvarum nosse tumultum,
expediam paucis, postquam consedimus antro.
Nescio si montes umquam memorosaque plana
nostis quae gemino resident contermina ponto
Ausoniis, magno quondam disjuncta Peloro.

His Argus pastor, merito cantandus ubique,
vivus erat campis. Flavos hunc mille per arva
audivi servare greges ; nec plenius usquam
et soles imbresque graves frondesque salubres
et pecori fetuque novo seu flumina quisquam
cognovit, tantusque fuit, dum carmine valles
tangeret, ut noster, Nysae cui summa dicamus,
Amphrysus pastor vix quiret tendere secum
vocibus aut calamis vel nervis. Horrida tandem
Parca virum rapuit meritisque recondidit astris.
Fleverunt montes Argum, flevere dolentes
et satyri faunique leves et flevit Apollo.
Ast moriens silvas juveni commisit Alexi,
qui cautus modicum dum armenta per arva trahebat
in gravidam tum forte lupam rabieque tremendam
incidit, impavidus nullo cum lumine lustrum
ingrediens ; cujus surgens saevissima guttur
dentibus invasit, potuit neque ab inde revelli
donec et occulto spirasset tramite vita.
Hoc fertur. Plerique volunt quod silva leones
nutriat haec dirasque feras, quibus ipse severus
occurrens venans mortem suscepit Adonis.
Si nunc cuncta velim quae tunc gessere propinqui
pastores narrare, dies non, lucis ab ortu
usque domum saturae redeunt cum nocte capellae,
sufficeret spatio. Sed postquam Tityrus ista
cognovit de rupe cava quae terminat Istrum,
flevit et innumeros secum de vallibus altis
Danubii vocitare canes durosque bubulcos
infrendens cepit ; linquensque armenta suosque
saltus infandam tendit discerpere silvam,
atque lupam captare petit flavosque leones
ut poenas tribuat meritis : nam frater Alexis
Tityrus iste fuit. Numquid vidisse furente
stat menti ferro nuper venabula acuto
gestantem manibus, multos et retia post hunc
portantes humeris, ira rabieque frementes,
hac olim transire via silvamque per omnem ?

PALEMON

Calcidicos Istrosque refers. Quid, quaeso, tenenti
Eridanum secus arva queunt inferre laboris ?

MERIS

Ecce tene. Multi per devia Tityron istum
ex nostris, canibus sumptis telisque, sequuntur,
inter quos Faunus, quem tristis et anxia fletu
Testilis in cassum revocat, clamoribus omnem
concutiens silvam : tendit tamen ille, neglectis
fletibus atque suis. Pulvis patet : aspice colles.

PAMPHYLUS

Semper in adversum fertur male sanus, et aegre
fert Faunus requiem. Veniet, ni sibilus austri
nunc aures fallit, tempus quo Testilis ibit
Hesperi in amplexus ; dabitur nec posse volenti

sistere. Sed redeat cupio melioribus astris !

PALEMON

Quis queat ardores juvenum compescere frenis ?
Apta quies senibus, sedeant in limine matres ;
Narycius nullas potuit praeponere laudes
quaesitis peregre. Tibi si mens antra nemusque
est servare, precor, cum sim post ire paratus,
pasce greges nostros : et donec forte revertar
in silvas, ne meam Crisidem tu solus habeto.

PAMPHYLUS

I felix, factumque putes rediturus, amice.

## DORUS

MONTANUS

B_4 Quo te, Dore, rapis ? Nemorumne per herbida capros
scrutaris seu forte boves ? Consiste parumper ;
nondum tecta quidem fumant, non Hesperus ardet.

DORUS

Da veniam, Montane, precor, fugiamque jubeto.
Quod petis, hoc prohibet casus : nam cuncta pavesco.

MONTANUS

Dives abis, si cuncta times ; requiescere mecum
hic fessus poteras. Nam si non tecta ligustris
antra mihi videas, est nobis ignis et umbra :
et quamquam steriles agri sint, proxima capris
pascua non desunt ; est grandis copia lactis
et veteris bacchi nobis et farris acervus ;
nec tibi quis Tuscus praestabit tutius antrum.

DORUS

Ha ! miserum rides ; nescis quibus ipsa reservet
te fortuna dolis. Pastorum pascua quippe
nec bona nunc quaero ; magnum mihi tuta latebra.

PHYTIAS

Si potius nil, Dore, petis, quid sumere differs
oblatum ? Spectare potes de vertice campos
Alpheos Tuscosque greges Alpesque remotas
et Ligurum saltus, Rhodanum rubrosque galeros
metiri ac aegram mentem revocare quiete.
Montani laudanda fides. I, sume. Quid obstat ?

DORUS

Si laudas, faciam. Sperabam posse timores
ponere quo placidus Fesulanis defluit Arnus ;

nam priscam tu saepe fidem cantare solebas
Florigenum, dum laeta fuit fortuna, meorum.

PHYTIAS

Sic fateor : dammas nemorum vidisse luporum
rebus in adversis animos sumpsisse, labantem
prostravit mentem, et timeo quoscumque recessus.

MONTANUS

Sic est. Intremus. Postquam successimus antro
tu dic, care puer, nobis, quibus anxius ultro
sic fugias ; medioque cibos Galatea parabit.

DORUS

O tibi si memorem quantis inimica fatiget
me Fortuna malis : non, si per pascua tigres
immanes videas fetas agitare juvencas
in jugulumve rapi tauros caeloque maligno
omne pecus captum tristique putrescere tabo,
sic immite feres. Utinam modo fata dedissent
immemor ipse forem ! Nam, dum mecum acta revolvo,
vix lacrimas cohibere queo, vix aspera verba.

MONTANUS

Quin tu pande, precor : magnos audire labores
non sumus insoliti, grandisque invictaque cordi
mens sedet et nulli cedit, mihi crede, labori.

DORUS

Quae Volsci coluere prius Campanaque rura,
Lucanos saltus, Samnitum pascua, rupes
et montes Brutios Calabrumque aspreta levesque
jam Dauni campos, Peligno et flumina grata
olim Argus tenuit ; princeps his omnibus unus
Argus pastor erat, cui fas complectere cuncta
viribus ac oculis, calamis et flectere quercus.
Hic abiit caeloque senex se condidit alto,
defletus modicum. Verum praesagia vatum
praedixere quidem : "Lacrimas quas demitis Argo,
inferias poscet". Post hunc miserandus Alexis
qui, gregibus nimium durus silvisque molestus
imperitans, abiit crudeli funere pulsus.
Munere post Phytiae pulchra est mihi juncta Liquoris,
et sub me saeptas Argi tenuere nepotes,
quas inter clarosque lacus pecorosaque Tempe
Chalcidici veteres silvam posuere coloni
a Cumis, qua nulla prior dum floruit ; in qua
dum nos jurgantes pueros agitaret Erinnys,
ecce celer quondam patriis Polyphemus ab arvis
progenitus nostris et nostro sanguine, ripis
altus in extremis Istri, puto, lacte ferino,
quo jaculo incertum, certo mutilatus ab ictu
parte sui, justa rabie succensus et ira,
irruit ut torrens qui hibernis imbribus auctus
monte cadit celso et rumoribus omnia complens
haec arbusta rapit, quatit haec, ruit atque superbus

in rupes et saxa trahens ingentia volvit.
Nec saevo lacerasse prius sub vindice sontes
nec post innocui Paphi foedasse cruore
sidereos vultus, truncum et jecisse cadaver,
aut vinclis gratos nymphis onerasse puellos,
immitis potuere gravem minuisse furorem.
Exuit infaustos ungues truculentior angue
frendens, et pomis foliis et cortice nudat
fructeta, et vitreos perturbans sanguine fontes,
dentibus infringens ramos pictasque volucres
murmure disperdens claustrisque repagula frangens ;
omne pecus mungit, decerpit, vellera tondet,
absorbet natos, miseras eviscerat agnas :
si pejora nequit, rescindit cornua tauris.
Vix Cereri sacras quercus, vix antra Lycaeo
intacta est passus ; satyros nymphasque vetustas
et faunos lucis pepulit. Sic astra ferebant !

MONTANUS

Sic magnis prisci finem dare tristia rebus
jurgia cantabant nobis quandoque bubulci.

PHYTIAS

Quid lacrimis, Montane, mades ? Ubi pectus herile ?

MONTANUS

O Phytia, fateor : quisnam sibi ponere leges
sic potuit prout ipse facis ? Sum carneus, hercle !
Haec hodie, dum falce Lycas virgulta secaret,
intento gregibus Corydon narrabat Amyntae ;
etsi nulla fides illis, sum flere coactus :
quid veris faciam ? Dorus sed coepta sequatur,
et me linque meis lacrimis : satiabitur istis,
heu ! Pietas et certa fides quibus angor amicus.

DORUS

Dum ruit omne decus nemorum, tunc ordine nullo
pastores pariterque greges armentaque passim
diffugiunt timidique ruunt ; loca namque ministrat
ipse pavor : petit hic colles, petit ille cavernas
lustraque silvarum. Plures se jungere monstro
sunt ausi, et praestare fidem ; quibus ipsa deum vis,
si qua est ut fertur, statuet pro munere munus.
Obscenas saevi pregnans vix squalida nais
evasit tremebunda manus, onerata gemella
prole, per umbrosam noctem magalia tentans
passibus incertis. Lacrimae non sponte tepentes
quas tu Montani, Phytia, sic ante monebas,
adveniunt ; nec plura quidem jam dicere possum.

MONTANUS

Nec mirum : sed dura animum, mi Dore, precamur,
nec taceas reliquum. Juvit narrasse labores.

PHYTIAS

Quis neget optatum juveni ? Mos nempe gerendus

114 Montano ; dic, Dore, precor, nunc cura peculi
115 nulla tibi trahimusque moras in vertice tuto.

MONTANUS

116 Quid Paphus, quaeso, cui centum brachia, centum
117 fama refert oculos, cui tanta licentia fandi
118 in superos hominesque fuit ? Non cuspide lata
119 occurrit monstro ? Quid tunc furibundus Asilas ?
120 Quid pecudum custos Phorbas ? Quid Damon amicus ?
121 Quid tu ? Quid Phytias ? Quid Pamphylus atque Molorcus ?
122 Ac alii tecum tangentes alta boatu
123 sidera, jactantes vario sermone palestras
124 atque pedum cursus, caestus et fortia facta ?

DORUS

125 Jam satis ostensum. Phytias in litore solus
126 invictus mansit, qui nunc peregrina per arva
127 me profugum sequitur. Stabat mens currere contra
128 ingens, et lectas pharetra de more sagittas
129 abstuleram nervusque levem jam flexerat arcum ;
130 sed tenuit non sana fides numerusque meorum
131 tunc nullus Phytiasque boans : "Quo tendere frustra,
132 stulte puer, tentas ? Nequicquam flectere fata
133 nitimur. Hoc caelo placuit ; sic Juppiter aequus
134 viderat et pensis dederat sua jura futuris".
135 Hinc natale solum silvas armenta domosque
136 liquimus ac tenui lembo diffugimus ambo
137 infandam monstri rabiem ; nec defuit usquam
138 dux fidus placideque tulit quoscumque labores.
139 Nos turbo fluctusque maris Telamonis ad oras
140 impulit, inde tuos errantes venimus agros.

MONTANUS

141 Ut vestros doleo casus, sit silva perennis
142 haec nobis parvumque pecus. Quod si tibi curae,
143 summito : tu ducas. Sed, si mihi nuntia veri
144 ilice ab excelsa cornix fuit, ecce parantur
145 multa tibi graviora satis reditusque propinquus.
146 Spes te saepe trahet sterilis ; quicquid modo perdis,
147 vinces cunctando : sed non tibi Delphica laurus
148 sertum laeta dabit donec tu Manibus unum
149 falce caput tribues pro cunctis. Nos quoque, diras
150 si tibi, Dore, placet faciles transire querelas,
151 mittamus Bacchoque sacrum celebremus honorem.
152 En Galatea vocat : redeunt cum matribus agni
153 et nox caerulea jam terras denigrat umbra.

## SYLVA CADENS

CALIOPUS

B_5 v.1 Pamphyle, tu placidos tecum meditaris amores
2 Calcidiae, viridi recubans in gramine solus ;

ipsa dolens deflet miseras quas nescio silvas.

PAMPHYLUS

Unde, precor, nosti ? Sis mecum : Phoebus in altum
tollit equos ; prosunt umbrae, mihi crede, capellis.

CALIOPUS

Sicilidum saltus et florida rura Pelori
forte pererrabam ; vox venit tristis ad aures.
Attonitus tum firmo gradum, prospecto frequenter
si videam flentem. Video. Quid lilia falce
secta loquar floresque malo jam sole reflexos ?
Caespite sic nudo lacrimis oppleta jacebat
illa suis questusque graves ex ore trahebat.

PAMPHYLUS

Heu mihi, quid vivo ? Jam tactae fulmine pinus,
et pecudes prostrasse canes noctisque per umbram
ex saeptis ululare lupos audisse, nefandum
prodigium dederant. Sed dic : quas, obsecro, voces
illa dabat deflens ? Tua praesto stat tibi merces.

CALIOPUS

Quas ego concepi, referam. Tu, dulcis Amynta,
nunc oculos gregibus praestes servesque, precamur,
ne, si damna satis faciant fortasse capellae,
hirsutus Corylas, Bavio mittente, lacesset
hircos interea morsu vel terreat agnos.

PAMPHYLUS

Ne dubites ; saxis sistet baculoque juvabit.

CALIOPUS

Illa diu postquam faunos nymphasque vocavit
in cassum, pectusque manu pulsavit et ora,
vocibus assiduis Sirenae in litore fractis
Parthenopis residens misere singultibus inquit :
"Non fuit Ausonicis campis, me judice, silva hac
laetior aut major, nulla atque capacior aevi.
Haec fagis caelum tangebat et ilice multa,
quercubus insignis, viridi spectandaque lauro
ac cedro crebra, funesta et pulchra cupressu.
Non adeo quondam formosa Libistridos ursis
horrida, cui cessit magnorum Hercynia nutrix
silvestrumque boum gelido sub cardine caeli,
Idaque judicio Paridis memoranda puellis,
Bebryciumve nemus cessit cessitque Erymanthum.
Floribus haec ramos et prata virentia semper
pingebat croceis roseisque et mille colorum,
Colchida dum primum siccaret vellera Phoebus.
Quid referam claros leni per gramina cursu
serpentes rivos fontesque lacusque recentes
antraque perpetuis non arte recondita tophis ?
Hac pictae nidos cunctae fecere volucres ;
psittacus exustis usque huc accessit ab arvis,
captus amore soli, sic et pulcherrima phoenix.

Nec fuit Italiae quae ferret silva leones
hanc praeter : mites tulit haec iraque verendos,
ut taceam lepores, cervos et dente minaces
apros et capreas et grandes viribus ursos.
Haec niveas habuit pecudes, quibus inclita tantum
vellera praestabant reliquis, quantum aurea poma
glandibus aut sorbis. Referat quis grandia quantum
dudum armenta boum pavitque et texerit umbra,
quantum lactis eis fuerit, quae copia prolis,
pascua dum magnus servabat Tityrus olim ?
Heu mihi ! cognovit Cyclops. Ast Tityrus ille est
qui primus pecori leges nemorique salubres
carmine cantavit, quarum nec clarior usquam
copia docta fuit legum nec prisca tulere
saecula majores, auro dum floruit aetas
sanguine, si veri quicquam primaeva vetustas
insculptum liquit fagis vel robore duro.
Me miseram ! Memini laetis quibus ipsa choreis
saltantes vidi satyros facilesque Napaeas
floribus ornatas et sertis fronde revinctis
aesculea, et gratos silvis expromere versus
nunc stipulis auctos, fidibus nunc arte canoris.
Sed quid tot refero ? Complectar ut omnia paucis,
quantum cana salix alno quantumque myricae
quercubus et celsis cedunt vepreta cupressis,
huic omnis tantum cedebat silva nemusque.
Pro superum virtus, quantum haec modo tempora distant
a priscis quantumve malis dat Juppiter astris
arbitrii ! Fortuna quidem, quos ante fovebat
laeta nimis, pavidos secum revoluta fatigat.
Plangite, Silvani veteres, heu, plangite mecum.
Delapsae quercus, grandes cecidere cupressus,
aesculus exaruit summissis undique flammis,
pinus nulla sedet, virides albescere lauros,
heu, video, et bicolor passim jacet undique myrtus ;
aret et omne solum pallens arbustaque nuda
frondibus in nihilum tendunt ; abiere volucres
antraque pastorum video dejecta, recessus
incultos, muscoque putri pallescere fontes
et nitidos rivos turpi sordescere limo
ac circum ripas calamos crevisse palustres.
Quod meritum ? Quod triste nefas ? Quod crimen avitum,
vel fortasse tuum, potuit tot superis iras
injecisse tua cum clade ? Miserrima quis tam,
quis tam dira deus permisit lapsa ? Quis Orco
eduxit pestes in te ? Quis, quaeso, labores
excudisse tuos potuit tristesque ruinas ?
O ruber hortorum custos, cui pulcher acanthus
aggere surgebat viridi canumque ligustrum
et quem puniceo quondam cum flore roseta
et molles violae stabant et lilia circum
Hyblaeusque thymus, nigra et vaccinia tecum
crescere sunt solita, an cernis quam creverit uncus
carduus et vacuus surgat paliurus in ortis
ulvaque vel saturis onagris suspecta cicuta ?
Ha Faunum pietas, fertis, Dryadesve sorores,

quis stipula totiens frondes virgultaque movi,
hoc spectare nefas ? Video sine vitibus ulmos ;
vix hederae vivunt. Solitos flavescere campos
en vacuis plenos prospecto horrescere avenis ;
piscosique lacus, pontus fluviique quiescunt ;
cortex nullus inest, resonant nec litora tonsis
et passim video sparsas, heu, vasta per arva
infectas tabo pecudes morbisque capellas
pastoresque graves per sordida lustra ferarum
dispersos turpique fuga nemus omne relictum est.
Alcestus trepidans abiit, tremebunda Liquoris
in dubium liquit silvas evecta per altum.
Omne decus periit luctusque laborque supersunt.
Plangite, Silvani veteres, heu, plangite mecum.
Silva decus nostrum periit, pereamus et ipsi".
Haec ubi dicta dedit, manibus lacerasse capillos
implicitos vidi ; tandem quasi victa resedit.

PAMPHYLUS

Heu miser, heu, video quae sit sibi causa doloris :
indignum facinus lacrimis revocare putabat,
praevisum dudum superis et pensa Sororum.
Errat stulta nimis : caelo parere necesse est.
Sed tu, dum fleret, nullis solacia verbis
perdita tentasti placidis reparare querentis ?

CALIOPUS

Non equidem, ne forte malus Polyphemus adesset
indignans : celeri sed te per pascua passu
quaesivi. Tu verba dabis, tu nubila purga.

PAMPHYLUS

Quid tibi mercedis statuam ? Quae dona labori ?
De grege nil possum ; calamos accepit Opheltes.
Sunt mihi crescentes catuli quos saeva Licisca
lacte domi nutrit ; summas quem duxeris ipse.

CALIOPUS

Dum grandes faciam. Sed tu modo quaere gementem
dilectamque tibi ; pecudes mulsurus abibo.

## ALCESTUS

AMINTAS

B_6
Pastores transisse nives et frigora laeti
sub divo veteres stipula modulantur amores,
aesculeas hedera nectunt de more corollas,
crateras Bromio statuunt et vina salutant
cantibus et multo protendunt carmine sacrum.
Tu, Meliboee, quidem plangoribus omnia solus
confundis. Quae tanta tibi nunc causa doloris ?

MELIBEUS

Silva vetus cecidit, lapsa est, cui praefuit Argus ;
custodes abiere gregum, periere sequaces.
Nostris an vivat nobis Alcestus in oris
incertum, et clausas disjecit belua saeptas.

AMINTAS

Parcendum lacrimis, nam trux Polyphemus abivit.
Alcestus rediit nobis, rediere vagantes
pastores oviumque greges, rediere priores,
laetitiaque virent silvae vallesque resultant,
omnis ager pubet, redeunt sua sidera pratis,
frondes arbustis, haedis quoque cornua surgunt,
cornu petant campis lunata fronte juvenci,
Massicus et Gaurus florent pulcherque Vesevus
innovat arbustis vites stauratque Falernus
ulmis jam colles, stringit Vulturnus et undas ;
surge ideo laetumque diem psallentibus auge.

MELIBEUS

Lenta fides magnis semper praestatur, Amynta,
nec facile annosum falsis risisse subulcum est.
Pan deus a silvis oculos avertit et omne
saevit in Alcestum dira vertigine caelum.
Quis daret, heu, celeres pennas ? Quis, quaeso, volatum ?
Quisve iras superum posset placare repente ?
I, laetis te dede, precor, sertisque corona
meque meis lacrimis sinito miserisque querelis.

AMINTAS

Si Corinna meo sedeat, Meliboee, sub antro,
vera loquor : vidi Circaeum vertice flammis
fulgentem in reditu ; sic et Garganus et ingens
Appenninus heri fumabant culmine summo
laetitia et, multis quod forsan credere durum,
Aetna quidem plausu fumos convertit in ignes.
Et si nulla fides dictis, hunc suspice collem
quam vireat, squalentem olim pallore. Quid ultra ?
His oculis, juro, calcantem litora vidi
Euboica et matrem amplexu pulchrasque sorores
suscepisse pio, laetis ac oscula dantem.

MELIBEUS

Quid verbis opus est multis, mi dulcis Amynta ?
Floribus ut Titan nocturno frigore lapsis,
dictamnus capreis pecorique Favonius aegro
utque salus arvis aestu sitientibus imber,
sic cordi tua dicta meo. Te, summe, precamur,
Phoebe pater, te, laeta Pales ; da coepta secundent.
Non silvis umquam, numquam pastoribus usquam
illuxit tam grata dies. Tu caespite vivo
erige propter aquas nobis altaria, Phorba,
et lauro et sertis hederae myrtoque corona ;
inde et Idumaeas fer palmas, postque bidentes
in sacrum niveas deduc ac omnia serva.
Tu maestas pecudes herbis et fonte, Lycophron,

et calamis refove : nosti quam turpis Orion
laeserit has dudum, lacrimis dum tempora flerem.
Nosque diem celebrem cantu deducere, Amynta,
et delubra deum festis ambire choreis,
credo, decet : viridis foliis ornatus olivae,
tu primus sacrum gracili perflabis avena ;
ast ego, populea redimitus fronde, secundus
carmina cantabo. Stipulis et carmine docti
ambo sumus, nobis nemo nunc praevalet agris
in Siculis, ni forte gravis certaret Iollas :
hic alios superat quantum vepreta cupressi.

AMINTAS

Ergo alacres dignum calamis et carmine festum
cantemus ; tu primus eris, tu carmine major.
Aesculeo dudum descriptos cortice rastro
Phyllidis incipies, vel quos mage duxeris, ignes
seu magis Alcesti laudes : non dignior ullus ;
seu magnos Phytias quos pertulit ante labores,
qui meruit versus qua Stilbon flabat avena.

MELIBEUS

Phyllis in agresti se jactet caespite ludens ;
exspectet Phytias cui, credo, magna paratur
posteritas, si vera sonat deus aethere laevo ;
nos tamen Alcesto dignas per saecula voces,
ut dabitur, cantare decet. Cantabimus ambo ;
Libethrides nostrum tollant ad sidera carmen.

AMINTAS

Ecce, puer, placida pariter residemus in umbra
et superis gratos mittunt altaria fumos,
ruminat omne pecus, pueri campique quiescunt.
Quid trahis in longum conceptos jam tibi versus ?

MELIBEUS

"Alcestum postquam silvis abstraxit amatis
fatorum praedura lues, flevere dolentes
Parthenopes nymphae nec vidit Daunia sulcos,
vitibus obstupuit Bacchus, periere juvencae
Vulturnusque senex ingentia saxa revolvens
excessit ripas, luteus demissus ab urna ;
montibus obtectum nebulis fumoque cacumen
vidimus et valles ululatu flere dolenti ;
tunc quos clara dedit tellus rugire leones
non ausos laqueosque graves sentire coactos
venantum primo, lyncis quoque lumen ademptum.
Ha quantum potuit de te Fortuna quibusque
casibus in dubios te traxit saeva meatus !
Ast ego, Phoebe decus caeli, posuisse labori
Alcesti finem et patriis post reddere silvis
dignatus, meritos nymphae tibi semper honores
carmine perpetuo resonent precor atque bubulci".

AMINTAS

Non thymus est apibus, non agnis lenis hibiscus,

non cytisus capris quantum tua carmina nobis.
Nunc ego restituam silvis silvisque tenebo.
"Plaudite jam colles, et vos jam plaudite montes :
redditus est nostris Alcestus, redditus antris.
Litora jam plausu surgant et flumina certent
nunc plausu complere polos. Hic spernere terras
occiduas, solisque vias caelumque serenum
cernere et obliquos Phoebes mirarier orbes
cepit et Astream silvis revocavit abactam :
hac tauris curru junget cervisque leones
armentisque lupos, serpentum sibila sulcis
auferet et meritos Musis concedet honores.
Plaudite jam colles, et vos jam plaudite montes :
redditus est nostris Alcestus, redditus antris.
Dum mare fluctivagos pisces tellusque tenebit
quadrupedes, aer volucres et sidera Olympus,
Alcestus silvis pastoribus atque puellis
sit lumen semperque decus nec limina Ditis
conspiciat ; moriens, superis sit Delphicus alter.
Plaudite jam colles, et vos jam plaudite montes :
redditus est nostris Alcestus, redditus antris.
Nos agnam mactare decet (nos cernat ovantes
Alcestus) taurumque sibi, dum tempora victor
umbrabit lauro : veniat lux illa, precamur,
et suris vinctis saltabimus inde cothurno
elicietque sonos stipulis Tyrrhenus Asilas :
astabunt coram Damon Phytiasque canentes.
Plaudite jam colles, et vos jam plaudite montes :
redditus est nostris Alcestus, redditus antris.
Vix, Alceste decus nostrum, vix credere famae
post nos ruricolae poterunt, sed cortice duro
posteritas tua facta leget ; te populus ingens,
te corylus sculptum, servabit te quoque fagus,
dum fluet Eridanus, dum montes vallibus umbras
praestabunt, dum grata salix, dum gratus hibiscus
nascetur capris. Crescent ea nomina quantum
ipsa quidem fagus crescet. Mirabitur Arnus
atque colet gratis linquens tua facta futuris.
Plaudite jam colles et vos jam plaudite montes ;
redditus est nostris Alcestus, redditus antris".

MELIBEUS

Munera quis statuet pro tanto carmine digna ?
Dulce viris quantum rusco prefertur amomum
atque rubis myrtus, laurus vel dignior alga,
tantum ego tu superes dicam cantando Menalcam
et calamis. O quantus eris, si praestet Iollas
te stipula perflare sua ! Tunc saxa movebis.
Est mihi conspicuum signis, quod condidit olim
Hylas Spartanus, quamvis duo vasa fuissent,
dum placido nobis victus concessit amore.
Horum aliud nuper rapuit gratissima Phyllis ;
tu reliquum, quanquam tanto sit munus agreste,
suscipe, sed noscas nulli tetigisse labellum.

AMINTAS

Sat video te cogat amor, dum munera tanti
concedis puero : non parva teneret Iollas.
Tu ne sperne, precor, baculum quem Cyprius olim,
dum juvenis Phrygias agitaret arundine dammas,
concessit Lycidas sumptum de rupe Camandri,
nodis insignem nec non et cuspide fulva.
Sed sta, care, precor, modicumque adverte : quid, oro,
personuit silvis echo ? Non, oro, latratus
concipis ipse canum ? Grandis non ille Melampus ?
Non gregis, heu, custos latrat ? Non illa Licisca ?
Est equidem, nosco : timeo ne saevus ovili
nunc lupus insultet seu belua saevior ; ibo
ut videam et manibus tollam ne laedat hiulcus.
Tu venias quaeso, si te fortasse ciebo.

## IURGIUM

DAPHNIS

B_7 Florida, quid stertens commissum linquis ovile ?
Non satius fuerat dixisses : "Servet amicus
hoc saltem Daphnis" recubas dum victa lyaeo ?

FLORIDA

Tu servare gregem nosti, fur pessime Daphni,
cum veteres flectas fagos immersus iaccho ?

DAPHNIS

Non ego quod vidi nuper, dum saepta Phaselis
crinibus exires sparsis et veste soluta,
clam dicam, te tristis amet sine mente Lupiscus.

FLORIDA

Vir gregis impulsus rabie mihi fugerat illuc.
An tibi liquissem, quem saevo vulnere capros,
Alphei in medio nemoris, fetasque capellas
carpentem vidi ? Quamquam plangore Phaselis
posceret in vacuum, tu per dumeta trahebas
infestus curva praeaptas falce bidentes.

DAPHNIS

Nonne ego quo libuit poteram deducere nostras ?

FLORIDA

Portasti tecum, credo. Quid, pessime, "Nostras" ?
Circius aut misit seu forte Hercynia mater ?
Quid fuit Alpheis tecum ? Vetus exstat origo
his quidem ab Hellaida, tibi tristis et aspera patrem
barbaries inculta dedit. Quid, pessime, "Nostras" ?

DAPHNIS

Quid Galatea, precor, faciet, cum talia lusca

audet et infando deturpat gutture Daphnim ?
Belua, me nemorum nuper pecorisque magistrum
silvicolae fecere senes, omnisque potestas
arbitrio commissa meo est. Quos Indus inundat
quosve Pyrenaeus collis seu caelifer Atlas
quosque tenet Rhodopes silvis aut abluit Hebrus
quosve niger Garamas ferventibus urget arenis
arceo pastores ; et tu, male sana, superbis !

FLORIDA

"Et quos jam caelo dederat decepta vetustas.
Merserat aut Orco" pariter dixisse decebat,
cum tibi sit parvus nemorum vix angulus unus
jure cui possis fragiles injungere leges.
Undos Mosa secat, Getulos abluit Albis
atque tuas, Tibris, Rhenus nunc sulcat arenas !
I, decus arctoum, Teutonos lude bilingues ;
nos titulos vacuos et lentos novimus arcus.

DAPHNIS

Quid "Titulos" ? Non, orba, vides quibus ipse Molossis
progrediar saeptus ? Lauros Galathea reservat ;
ornet et ut pexos nobis aliquando capillos,
flectere serta manu cepit. Tunc anxia dices :
"Nos titulos vacuos et lentos novimus arcus" !

FLORIDA

O miserum ! Tibi serta comis Galatea virentis
imponet lauri ? Taedas exstinguere flammas
tunc dicam referetque diem tunc Hesperus et sol
inducet veniens umbras. Qui primus honores
hos tulit in silvis, poterit deposcere taxos
et lauri tristes porcis exponere frondes
si te gestantem videat. Mihi numina praestent
ante diem moriar, Latiam quam cernere danem
Sauromatae possim crinesque caputque prementem.

DAPHNIS

Quid tantum, delira, tumes ? Quod jussit Apollo
tu renuis ? Melius fuerat componere lites,
et quos jamdudum nostris antiquior aetas
exhibuit sertis flores, tu candida laetos
praestares ut sacra tuis Jovis ales ab alto
invigilet gregibus removens vulpesque luposque.

FLORIDA

Hac ego te semper cognovi retia cervis
aut capreis laqueos, mediis in vallibus, arte
tendere, cum jaculo valeas nil, optime Daphni ;
blandiris caecamque putas includere claustris.
Nosceris ; errasti. Nec tu : quibus inscia quondam
omne nemus saeptasque dedi taurosque caprosque
amplexusque meos ac oscula laeta ; nec illa
saecula volvuntur nobis nec vertitur ordo
qui dudum, quo grandis erat per compita Daphnis.
Absit et ut credam, de te modo sentiat, acer
qui fueras praedo, tam sancte summus Apollo

jusserit ut lauro tua cingas tempora sacra.
Sed cedam. Memini puerum dixisse Goliam
esse polos superum, campos mortalibus esse
concessos, quos quisque sua dicione teneret.
Libera sum mulier, nullo sociata marito,
et thalamis ultro renuo jurique jugali ;
sunt vires animique, manent arcusque trucesque
custodes ovium peperit quos saeva Licisca ;
et moriar potius quam jactem lilia corvis.

DAPHNIS

Libera tu mulier ? Quasi non viderimus ipsi
quot moechis prostrata jaces ! Carecta Phaselis,
si tu forte neges, servant vestigia sulcis.
Venales tibi, stulta, manus mercede parasti :
hos fortes arcus, jacula hos tutosque recessus
esse putas ? Faex nempe virum servique fugaces
sunt, quos dirus amor seu forsan tristis egestas
e silvis pepulit nostris. Non, Hercle, sagittam
eximerem pharetra : loris virgisque fugabo.
Ast tu sume colum calathosque et pensa puellis
impartire tuis et pascua linque bubulcis.
Spirantes thymbrae tibi sint, mea Florida, curae
atque roseta tuis aperi et violaria pande ;
collige jam flores, pueris compone corollas
et natis occide sues, convivia pone ;
da spatium barbas pectant, da stringere vestes,
da laqueis ambire femur, da tempora ludis,
da vitreos fontes, quorum testantibus undis
incedant compti ; radios et findere Phoebi
permitte ut possint animos assummere grandes
dum tenues idolo, segnes corpore cernent ;
da graciles stipulas, umbras compone recentes,
sterne leves algas, nymphas immisce procaces,
da vina et somnos et vesca papavera lentis,
pelle canes silvis, arbustis pelle cicadas :
sed tandem videas miseris quid feceris, Hercle !
Nos Phrygius lusit pastor, nos sprevit Osiris
non impune diu ; nec tu, si spreveris, inquam.

FLORIDA

Sic faciam, dum grata quies, dum floridus annus,
dum virides silvae stabunt caelumque serenum,
invidus ut doleas. Sed quid male sanus amores
obicis indecores ? Nemo, stolidissime, credet :
mos vetus est moechis matronis turpia castis
objecisse quidem, testis mihi maxima quercus
sacra Jovi quia falsa refers. Ast, inclite, quid tu ?
Quid "Phrygius pastor" ? Quid dicis : "Sprevit Osiris
non impune", miser ? Quasi jam nemus omne canopum
videris et Mysios colles vallesque Scamandri,
cum vix agnoscas, tibi celsos elicis ignes.
Haec stolidis stipula referes aliquando Napaeis,
dum tu Pannonos victos cantabis agrestes.
Nec taceas nuper signatum limen ab angue,
segnitieque tua pactum ex ferrugine sertum

in campis Venetum. Sunt haec purganda priusquam
excidium fagis, Daphni, saeptisque mineris
inflatus rabie. Satius tibi vertere passus
orbis in extremum, quo tu mulieribus arces
erigis ac onagris componis saepta comatis,
vinitor et tensos resecat tibi vitibus antes.

DAPHNIS

Me miserum ! Raucis veni contendere ranis.
Te natis commendo tuis. Hi pectere crines
et faciem purgare tuam vestesque novare
et mores ornare tuos laudesque levare
noverunt. Primi facient, ni fallor, ut Arnus
nuntiet Alpheis quoniam tua colla superba
calce premam victor, vacuatis sanguine fibris.

FLORIDA

Hesperidum mihi poma dedit Tirynthius heros,
asseruitque graves aegris haec ponere somnos
freneticis. His ergo tuo postremo medebor
fervori : magnos memini pressisse furores.
Insuber atque Ligus post haec tua somnia solvent.

## MIDAS

DAMON

B_8 Tolle pecus, Phytia : nescis quibus inscius arvis
nunc sedeas. Mydas si te vel forte Lupisca
viderit ! Errasti ; dubium quis promptius ultro
irruat in praedam seu servet durius actam.

PHYTIAS

Quid verbis laceras grandes, venerande, bubulcos ?
Quid, Damon, suades fesso ? Dum jussit egestas
hunc domini servare greges, hanc pensa Minervae
ducere per noctes, potuit fortasse timeri.
Nunc illis armenta boum per gramina servat
Aufidus et vitulos deducit ab ubere Marsus.
Non hostis venio : vult Mydas ipse, daturus
pascua, si qua fides, fontesque umbrasque recentes.

DAMON

Coge pecus dum tempus adest : ni fallor, amara
qua nolis venisse dies, mihi crede, futura est,
et promissa quidem tenues dispersa per auras
in nihilum venient. Sed tu quid, stulte, putabas
hos magnos habuisse greges ni fraude parassent ?
Non hominum justi quid possint ferre labores
novimus, et quantum saeptis augere peculi ?

PHYTIAS

Me miserum ! Deceptus, inops, per saxa, per aestus,
en iterum revocandus eras, grex anxie ; nusquam
comperies quo grata quies tibi praestita fetus
gramine permittat laeto deponere. Damon,
Pana deum testor, non herbida prata nec amnes
exhausti natale solum patriosque recessus
Arcadiae ut sinerem fecere, et quaerere campos
pastoris nimium cupidi, trucis atque Lupiscae.
Sola fides fallaxque nimis spes alta Vesevi
atque sinus Gauri virides fontesque lacusque
ut peterem potuere. Tamen, dum tristis Orion
alta tenet noctis prohibens cantare volucres,
sta, precor, atque doce miserum quo jure Lupisca,
quo Mydas rapiant armentaque maxima ducant.

DAMON

Nympha decus nemorum placidis residebat in arvis
Euboicis, nuper clara viduata mitella.
Hanc ardere quidem coepit, cum ferret ad urbem
lac pressum Mydas, pecudum et de more cadentum
exuvias : coepto favit fortuna furori.
Nam gravis aere domum fervens dum forte redibat,
caespite pro viridi prostravit munere victam.
Haec hujus jam capta leves e pectore curas
expulit ac animos immisit fervida grandes ;
cumque diem functus terras dimitteret Argus
et laevo tandem fato cecidisset Alexis,
extemplo callens hic sese miscuit altis
pastorum rebus, Dircaeaque semina passim
omnia complevit jactans ; cumque impia virtus
in se discordes armasset cuspide fratres,
prosiliens avidus Mydas pecudesque bovesque
occupat insidiis et, ne sibi tuta deessent
abdita, Menalcem studio conjunxit Ameto.
Quos postquam miseros undis retraxit avitos
in campos, lauro et flavos vincire capillos
et querno fecit dextras ornare bacillo,
primum se divum titulis immiscuit altis,
cum pridem placido vix esset cognitus Arno.

PHYTIAS

O felix jam sorte sua ! Quis plura requirat ?
Imperat ex servo ; merces conflavit in aurum.

DAMON

Saxeus es, Phytia. Video coluisse napaeas
et nemorum faunos aeque nymphasque puellas
thure pio credas, qui surripit undique capros ;
claustraque si frangat, felicem dicis avarum.

PHYTIAS

Imo equidem dico : nemo, nisi Juppiter aequus
jusserit, in celsos usquam conscendet honores.

DAMON

Te Phytiam rebar : silvae fecere Lycurgum,
et superum mentem, video, cessere subulco
sulphurei colles et pascua grata Lyaeo !

PHYTIAS

Sum Phytias, Damon, Phytias sum pastor et Arcas
et calamis didici pastas mulcere capellas,
non mores hominum, sacra et monimenta Lycurgi.
Tu miserum ridere potes : tibi grandis Apollo
concessit citharam, Pomona cadentia pomis
arbuta ; sic temnis summo de culmine lapsos.
Saepe vices rerum verti cantabat Amyntas
jam senior ! Lacrimas mecum mors aequa resolvet.

DAMON

O Phytia, consiste, precor, mentemque resume.
Ante polos lintres sulcabunt, Nerea currus
orbita, frondoso pandum delphina Pelorus
vertice suscipiet nantem, quam Damon amicum
contemnat Phytiam. Sed tu modo respice verum :
hujus quippe fuit mos semper vertere vultus
quodque velit validis se nolle infingere signis.
Hinc, servus, pratis viridi contectus in herba,
serpere et incautas cauda vincire capellas
atque haedos morsu solitus lacerare tenellos ;
sed postquam vires auxit, compressa catella,
insurgens coram, tauro qui ludat in ervo
persimilis cornu, celsas infringere pinus,
sternere praevalidas quercus silvasque boatu
terribili complere, leves pervertere saeptas
cepit, et horrendus rabie leo vertere magnas
in circum bubulas ursosque arcere frementes.
Quis putet ? Et Bavio subtraxit subdolus hircos
praegnantesque boves, et pingues carmine tauros
eduxit stabulis, rauco latrante Melampo.
Quot faunos quondam, nymphas quot lusit agrestes,
quot satyros ficto calamis per devia cantu !
Seque Maecenatem magnumque deumque vocari
gliscit et, invitas dum servat rupe Camenas,
Ascraeum putat esse senem silvasque movere
Castalias et plectra dei sacrasque sorores.
Quis queat insanos ausus, quis dicere saevas
et nemorum pecorumque simul juvenumque ruinas
quas dedit, et pariter secum trux inde Lupisca ?
Haec siliquas porcis et gramina subtrahit agnis,
emungit miseras turpi squalore juvencas
ac matrum parvos subducit ab ubere natos,
terque die pecudes premit et ter vellere nudat,
si possit, tristique levem consistere lunam
carmine compellit caelo et sibi fascinat haedos.
Nec vacat haec somno ; virides ambire per agros
nocte etiam videas et magnos vertice Gauri
enumerare greges. Quid multa ? Haec omnia radit ;
ac ut nulla sinat silvis intacta vel agris,
arte nova pueros annosa per antra canentes

in venerem rapit illa suam nudatque sequentes.

PHYTIAS

Fur Mydas igitur, moechus scelerumque satelles
o facinus ! Meretrix anus est et avara Lupisca !
Quae nuper glandes oleasque legebat in agris,
nunc caelum violat verbis et fascinat agnos.
Quid tunc Menalces ? Tacuit ? Quid dixit Ametus ?

DAMON

Assensere : Dei sic ira et crimen inultum
permisit miseri laqueo pereuntis Alexis.

PHYTIAS

Heu, trepidans horresco solum suspectaque divis
pascua. Quid faciam ? Minui post verba videntur
nempe greges ; dominam noverunt prata Lupiscam.
Ast ego quid merui ? Nolebam vertere vepres
in lauros, fateor, neque celsum extollere Olympum
degeneres calamis, divos cantare subulcos.
Hoc tam grande malum ? Non rebar. Lusus et insons
distrahor hinc pauper : videat Pan, deprecor, aequum.
E quercu veteri nuper mihi garrula cornix
hos cecinit lapsus ; vetuit sed dira cupido
noscere, et in dubios deduxit ab aggere campos.
Nec Corydon dudum silvis cantare solebat
sic laetis, dum tantus erat sub tegmine lauri.

DAMON

Non Corydon, miserande, tibi, non fistula nota
qua steriles, vobis blandus, cantabat amores ;
sensi ego quam tenues conflaret gutture versus
et modulos stipula, laqueos dum poneret arvis.

PHYTIAS

Quid faciam, Damon ? Fugiam, dic, litus ineptum ?

DAMON

Summe quod in tristi veteres cecinere bubulci.

PHYTIAS

Malo rudes habitare casas nemorosaque tesqua,
Parrhasii lambant malo jam saxa Lycaei
hae pecudes, quam pingue solum Stymphalidis agri
tot plenum curis. Mecum cantabit Amyclas
rupe sub exigua tutus, cantabit et ingens
Silvanus placida componet pace furentes,
ilice sub prisca, Bilem stolidamque Dionem.

DAMON

Nil melius : pecudes pridem dum forte lavarem,
omnis erat varia plenus vertigine gurges ;
hinc sensi monitus venturi turbinis iras
et Mydae casum pariter pecorisque ruinam ;
et repetet glandes veteres oleasque Lupisca.
Sunt in secessu nobis florentia rura

et gratum nymphis antrum, quod fronde recenti
sternet amica tibi Glaucis, mellisque parabit
inde favum. Venias : quas conspicis, arbitror, umbras,
ante locum teneas, protendent arbuta longas.

PHYTIAS

Tende igitur, veniam : teneat sua prata Lupisca.

## LIPIS

BATRACOS

B_9 Quis, precor, es, nostris in silvis exterus hospes ?

ARCHAS

Archas eram quondam pastorque et nominor Archas,
incola Parthenii montis, nunc ductus in oras
has casu. Video pecudes armentaque passim
pinguia, sed steriles agros et pascua nulla.

BATRACOS

Miraris fortasse, senex, nam causa latens est.
Nunc, ni cura vetet, nostris succedito claustris
et requiem longo paulum concede labori :
et quae sit tibi causa, precor, praepone viarum.

ARCHAS

Sic ego Parrhasios umbris persaepe viantes
suscepi fessos : prospectat gratus Apollo
in meritos. Sed prima refer quae causa latens sit.

BATRACOS

Sunt in semotis colles silvaeque patentes
herbis insignes et grandia pascua rivis
irrigua : has celeri contendunt undique cursu
quas habeo fetas vaccae redeuntque volentes
uberibus plenis, quae post pendentia natis
praebent et tenues cogunt pinguescere lacte.

ARCHAS

Est memoranda quidem grandis solertia vaccis.
Ast ego visurus cupiens Amaryllida veni.

BATRACOS

Arcades en nostram norunt Amaryllida, quaeso ?

ARCHAS

Quis fuit in terris qui non Amaryllida norit ?

BATRACOS

Quid secum tibi, care senex ? Non cura sacrorum :
despicitis Dori Thracesque altaria nostra.

ARCHAS

Circius, aiebant, veniet sumpturus honores
quos vetus athletis dederat victoribus aetas.
Hac ego deductus fama vincire capillos
pastori vidi. Post haec quis cultus agrorum,
qui mores essent, qui ritus quaeve bubulcis
artes servandi pecoris lactisque premendi,
quae nemorum leges, avidus cognoscere veni.

BATRACOS

Et nobis quidam nuper referebat Etruscus
ornatum arctoum sertis, sed lenta ferenti
praestita quippe fides : obstabat inertia Circi.

ARCHAS

Sic, hera, sic factum : verum narrabat Etruscus.
Circius arripuit sertum ; fuit Albula testis.

BATRACOS

Inde novos alpes emittunt vertice fumos ;
hinc lupa cum geminis pressantibus ubera latrat,
et vulpes ambire domos gallosque timentes
adverto tristesque malas ululare per umbras
audio pastores Rutulos et cuncta timere.
Cinnama nunc filices pariant et balsama taxus
sudet Cyrnensis, tristisque cicuta Sabaeos,
postquam Romuleis sic visum, praestet odores !

ARCHAS

Indignans loqueris, video : tibi Circius aegram
commovit bilem ; nolles redimitus adesset.

BATRACOS

Quid non indigner ? Potuit sors invida mundo
crinibus Arctois Italas imponere lauros.

ARCHAS

An possunt haedos forsan saturare petulcos,
vel quid majus habent Italae quam Sirmia laurus ?

BATRACOS

Non equidem nostros sentis satis, Archas, honores.
Has frondes pharetris Phoebus victricibus olim
ac citharis, lauro facta jam Dane, dicavit ;
hinc veteres Italis sacras fecere triumphis.

ARCHAS

Quae, precor, acta virum, quorum tam fulgida merces ?

BATRACOS

O ! longum narrare, senex. Sed pauca reportes
Parthenii silvis volumus sacroque Lycaeo.
Liternus Libycas pestes revocavit ab arvis
Ausonicis fecitque potens has fundere virus
in colles proprios, stomachis et mella Falerna
immisit legesque suas servare coegit.

Rusticus Arpinas sulcavit vomere montes
Cirtaeos Latio grandesque olidosque per altum
hircos in Tiberim traxit domuitque superbos
Cimbrorum tauros et currus fregit inanes.
Hyrcanas tigres cursu superavit Opheltes,
Armenosque equidem devictos arte leones
et curvos Syriae pressos sub fasce camelos
Assyriosque greges et quos Erythrathalasson
litore servabat ratibus devexit in umbram
Tarpeii lapidis, cilicesque per alta volucres
cepit et in spolium rostrum portavit et alas.
Allobrogis Aeduisque bobus Belgisque juvencis
frontibus imposuit Daphnis virtute capistros,
et solitos errare jugis et ludere flexu
pastores tanto contrivit robore fessos
ut juga demissa faciles cervice subirent.
Gryphes Hyperboreas rapientes unguibus olim
quos nobis vitulos servabat maximus Ister,
privavit pedibus juvenis Corigillus aduncis.
Smyrnaeus pastor, Venetusque et grandis Etruscus
Maeonios dudum tauros Italosque leones
et Tyrios apros stipulis domuere canoris.
Quid tam multa loquar ? Quid frustra cuncta revolvam ?
Hesperidum qui poma tulit, qui duxit Iberas
in Latium vaccas, qui vellera longa Britannis
abstulit aut frixo nudavit vellere Colchos,
et niveos meruere Jovis conscendere currus
et plebis plausus et tempora cingere lauro ;
his Quiris veteri sancivit lege coronas.

ARCHAS

Magna refers et laude quidem memoranda perenni.
Sed quid turbaris ? Possunt meruisse nepotes
quod nequiere patres. Est magnus Circius, hercle !

BATRACOS

Heu ! mihi dic, quando meruit precor, iste nefastus
Circius ut segnis nostros ambiret honores ?
Hujus avos memini venisse securibus altas
caesuros silvas Latias, Latioque molossis
infestos pecori ; cui nunc mea nescia mater
sponte manu facili lauros concessit avitas.
Heu, quantum potuit caeli vis plurima ! Quondam,
dum pastor luscus confringeret omnia ferro
et nostras mactaret oves impunis et antra
Byrsaeo victor misere consummeret igne,
non potuere duces flecti, cogente periclo,
ex gemino pastore gregis pereuntis ut alter
esset Campanus, cui par labor atque suorum
exitium fuerat. Nunc unus Circius, hostis
barbarus immanis, meritis nec laude refulgens,
omnia solus habet, silvas pecudesque bovesque
ac insigne decus pastorum nobile sertum.

ARCHAS

Erras ; hoc Latii quondam voluere coloni.

BATRACOS

Confiteor ; sic saepe dolor divertit inertes.
Non, veterum si fusca quidem sed sacra parentum
hunc pietas miserum potuisset cernere finem,
Martius in Stygias umbras se sponte dedisset
praecipitem, Senoni pardo nec credo dedissent
inferias patres animas cum sanguine silvae
et reor in vacuum juveni cantasset et anser ;
nec genitor genitusque parem sibi summere cladem
curassent canibusque dari lanianda Latinis
viscera. Quid repetam sanctos pulchrosque labores,
felices animae ? Vitam pulchrumque cruorem
fudistis Rheno ! Sibi fert Hercynia mater
insignes titulos, et per spineta nepotes
distrahit, heu, nostros ; cedunt nunc sidera Cimbris.

ARCHAS

Quid veteres renovas, Batracos, nunc flendo querelas ?
Dalmata Pannonus Graiusque et pessimus hostis
Afer jamdudum juga, quae portaverat ipse,
imposuit vestris tauris traxitque per arva.
Quid tandem ? Silvis fuit haec et gloria nostris.

BATRACOS

Quid "Nostris" ? Forsan vestros non novimus agros ?

ARCHAS

Crede equidem : nostis, sed non meminisse potestis
dum genus egregium campis effulsit Amyntae
et cecidere trabes ex Indo culmine nigrae,
et dum Maeoniis dixerunt jura colonis
limpidus Eurotas quondam pulcherque Aracynthus :
sed demum surrepta tuos devenit ad agros.
Nil sub sole novum : rapuistis, nunc rapit alter.
Sed tibi quid tanti, laetos si summat honores
Circius aut viridi circumdet tempora lauro ?

BATRACOS

Aegon erat Latiis pastorum maximus et quem
preferrent homines cunctis mortalibus olim.
Parte alia Daphnis post hunc pregrandis, in ipsum
insultans turbavit agros. Hos quisque secutus
pro votis. Aegonis ego, quia justior esset,
partes intravi, quod propter credita semper
hostis eram Daphnis. Cui postquam Circius heres,
pertimeo non forte velit renovare vetustas
iras majorum memorans vertatque secures
in silvas gregibusque lupos immisceat acres.
Me miseram ! Quae, quaeso, mihi nunc tuta latebra ?
Quo fugiam ? Quo tristis eam ? Mihi terra dehiscat ;
impia me coget genitrix intrare lupanar.
Me miseram ! Furias educet Circius Orco
inclitus hoc serto : corvi per inane volantes,
heu, rostris ventura sonant praesagia veri.

ARCHAS

Debilis esne adeo quin possis ferre priores
insultus ? Facili solvuntur membra labore
Rhenicolis : saeptas quo possis robore valla,
fac circum fossas et magnis cinge rubetis ;
assint pastores sudibus, praepone molossos,
da pueris fundas ac obstrue sentibus arctos
introitus : persaepe dii juvere labores.

BATRACOS

Imbellis mihi turba manet mollisque per umbras ;
aspicis ut sterili nupsit me mater agello,
cui nec litus adest nec grandis defluit amnis
nec praerupta soli patiuntur devia currus.
Hincque meum robur juvenes transcendere montes
coguntur pedibus gregibusque referre jumentis
pabula. Si veniant, timor usquam nullus adesset.

ARCHAS

Erige, fac, vires et firma robore mentem.
Vidi ego deflentem lacrimis Amaryllida nuper,
quam tu sponte putas cupido posuisse coronam,
et nullis silvam laetari floribus usquam ;
fistula non cecinit, non aera sonantia ; Tybris
effluxit tacitus undasque retraxit in alvum
atque graves tacuere senes, tacuere palaestrae
et tacuere nurus pariter clausumque Lupercal
constitit et nullis monstravit gaudia ludis.
Post, dum sedisset scamno jam Circius alto,
conspicuas serti frondes praenubilus auster
eripuit sonituque gravi devexit ad arctos.
O monstrum ! frondes dum defert ille per auras,
exarsere quidem, tenuisque per alta favilla
vix est visa viris. Tunc qui praegrandis habetur
Arcadibus pastor confestim dixit Aruntes :
"Hic iter in silvas faciet tibi, Rhene, propinquas,
in quibus ipse diem claudet condetque sepulcro
quod tam grande rapit nomen putridumque cadaver ;
vel si iterum veniat (quia flexit flamma parumper
in reditum fumos), faciet memorabile nullum".

BATRACOS

O nostris mea sacra Pales gratissima silvis,
fac firmes omen : repetat sua lustra bicornis
belua nec nostros infestet cuspide campos.
En tibi quam gemini sugunt mactabitur agna,
tuque, senex Archas, cui tantum cernere curae,
sis mecum. Nox atra venit ; jam sidera caelo
surgere, nonne vides ? Abiens permittit Apollo.

# VALLIS OPACA

LYCIDAS

B_10 v.1 Doryle, seu pluvias terris immittat Orion
2 aut Ammon flores vel Cancer rure cicadas,
3 auferat aut frondes Chiron, te fronte recurva
4 semper conspicio tristem lacrimisque madentem.
5 Quis dolor iste tuus ? Periit tibi vitis in ulmo ?

DORILUS

6 Juppiter a celso prospectans cardine campos
7 prostravit feriens ignito fulmine fagum
8 his celebrem silvis : sonitu perterrita tellus
9 ingemuit, tremuere greges ac arbuta dumis.
10 Pastores sese comperta fraude vicissim
11 in caveis clausere malis ; cui rustica cessit
12 libertas, turbare greges, disperdere capros
13 coepit ; Chrysifabro Junoni sacra paranti
14 abstulit optatam frustra per tempora Rufam,
15 lascivusque mei formosam Phyllida ruris
16 eripuit Phytiae nostro. Quam magna supersunt
17 Centauris obscaena quidem, si dicere vellem !
18 Utque alios mittam, nostros damnavit amores
19 illecebris, pedicas ac antra carentia sole
20 imposuit, nulla myrto nec laeta corymbis.
21 Haec tristis ploro. Sed tu fabrilia tractas,
22 centuculo tectus, nigra et fuligine tinctus ?

LYCIDAS

23 Vera igitur tulerat fusca sub valle Menalcas
24 adveniens. Per Pana deum, non sordida laedunt
25 munera Plutarchi quantum mala vota furentum
26 quos genui calamos inter ranasque palustres !

DORILUS

27 Tune, precor, meus es Lycidas ? Te nempe Podarcem
28 credebam. Quam laeta dies ! Spes lapsa resurgit ;
29 tu caelum campos fluvios armentaque nobis
30 restitues. Quernas superisque tibique coronas
31 post aras statuam ! Placidam contingere dextram
32 mittito ; quin subeas antrum. Non lacte tepenti
33 castaneis nucibus pomis Bromioque fovebo ;
34 omnia subtraxit Polypus : mihi panis et unda,
35 algaque dat somnos mollis. Sic vivere divos
36 audivi in terris. Nec dedignere, precamur ;
37 saltem quae turbant faciem purgare tenebras
38 his poteris lymphis et fessos inde cubili
39 hoc recreare artus ; medio revocabimus ignes.

LYCIDAS

40 Erras. Prisca vides, non me, vestigia nostri.
41 Non ego plus vester postquam Cyllenius Argus
42 surripuit virga radios ex aethere raptos
43 et crinem secuit Triviae jam falce dicatum.

DORILUS

Ha miserande puer ! Periit spes alta salutis
incertusque mei moriar nomenque sub umbras
auferet atra dies. Pecudes ad prata Myconis
nunc Hylas pellit, manibus nunc ubera pressat ;
hic cythisum salicesque novas frondesque recentes
apparat ac agnos recreat matresque per herbas ;
hic alter mersat rivis et vellera tondet ;
ille suos cantat calamis invisus amores
et corylos faciles mulcet celsasque cupressus.
Me solum miserumque tenet sine crimine vinctum,
heu, Polypus, dum saeva tero nunc otia planctu.

LYCIDAS

Castaliae, dic, oro, puer, docuere sorores
te lacrimis transire diem ? Quis nectere mentes
atque pios animos potuit vincire ginestis ?
Quis prohibet meliore tui quin parte peragres
Gnossiacos saltus et Maenala pascua ? Quisve
pastores Idae videas fontesque bicornis
Parnassi et lauri dulces per culmina silvas ?
Ha scelus infandum ! Sic nondum vivere nosti
annosus tecum ? Secum superavit Olympum
olim Argus, qui jura deum viditque deditque ;
pastores Phrygios orbatus lumine Mopsus
et Danaos cecinit ; sic Tityrus arva Latina
non vidit, Rutulus dum tinxit sanguine Turnus.
Has lacrimas nobis sinito, cui nulla potestas
ni damnosa manet : memor es, dum pascua solus
haec tenui, quam grandis eram ? Nunc tristis egestas
arguit atque jubet miseris solacia praestem.

DORILUS

O Lycida, fateor, durae solamina vitae
de te tot merui numquam. Sed pande, precamur,
quis tibi Plutarchus, quas valles quosve recessus
nunc habites, Archas divos postquam abstulit ignes.

LYCIDAS

Spelunca in medio stat Taenaros, inscia Phoebo,
qua vehimur caelo vetiti, cui limine primo
pervigil insultat canis ater et atria servat.
Blanditur cauda intranti morsuque fatigat
tentantes reditum ni princeps jusserit. Inde
et lucos silvasque vides fluviosque lacusque.
Atra loci facies nebulis fumoque palustri ;
perpetua sordent vallis fuligine rupes.
Semper hiems glacialis inest, nox semper opaca ;
caecus adest ignis, nemorum nec stipite vivus,
arte tamen superum. Nec credas laeta Pelori
pascua vel campos Tyrios Libanive roseta,
Thymbraeos colles, juga vel ridentia Acantho
Eridanique leves undas et amoena colamus :
late Sardoniis et taxo prata, locique
omnes conspicui vepribusque et vimine torto ;
implicite miseras reddentes flentibus umbras

insurgunt silvae ; caeno sanieque fluentes,
in medio maculant olidi de vertice rivi.
Non ibi sunt celeres capreae cervique fugaces ;
serpentum locus ille ferax pestisque nefandae
telluris Lybicae, quorum nunc verbere caudae
nunc acri morsu nunc nexibus angimur aegre.
Sirenae in scopulis vobis silvisque Napaeae
cantantes aures mulcent ramisque volucres :
ast nobis aliter resonare per omnia valles
mugitu valido, turpes et frendere porcos
dentibus et saevos rabie rugire leones
audires, tristesque sonos ut reddat et echo.

DORILUS

Quid dicis, Lycida ? Potuit natura vel alter
visceribus terrae tam diram condere sedem ?

LYCIDAS

Quidni ? Cuncta potest qui silvas fecit et astra.
Sed paulum consiste, precor : pejora sequuntur.
Plutarchus scopulo residet, fusca atque marita,
frondibus umbrati nigris et vellere pullo.
Stant squalens circum scabies morbique caduci
omnes et pecoris pestis certissima frigus
et siccae febres ac horrida mortis imago.
Has inter colubris hirtus squamisque cruentis
trux pastor miseros leviat nec pectine pastos
nec calamis mulcet, sed cornu territat umbras
atque greges surgens scopulo et clamore sonoro
irritat Furias vepretaque mandat amoena
lustrari taurosque iterum per inania verti.
Quot gemitus vox ista levet, tibi sidera pandent
si numeres, seu fulva sali monstrabit arena.
Concutit inde polos et saevo murmure replet
Juppiter iratus silvis ac fulmina vibrat ;
quassataeque ruunt nubes et grandine multa
frangitur omne nemus nodosaque robora rumpit
ventorum vis magna furens. Quid multa ? Dolentes,
heu, quot tunc pavidos inter spineta videres
currere et oppositas sentes contundere dorso,
praecipitesque dari celsis ex rupibus ultro !
Ast postquam Diomedis equas, Geryonis et acres
jussit inire canes, omnis per devia turba
convenit ac hydris agimur ; tristesque ministri
componunt turmas avidi poenasque minantur.
Nec pecudes credas : tauros hic arguit atros
et summa de rupe truces impellit ad ima ;
convocat hic torvos angues, et fuste preusto
in glaciem cogit squamosaque tergora frangit ;
isque lupos igni de vertice culminis alti
deicit. O quotiens hos inter lapsus et ipse !

DORILUS

Siste, precor, Lycida. Quid ? Tu devolveris, oro,
immixtusque lupis e summo montis in ignes ?
Quid sceleris, quae dura trucem sententia movit ?

LYCIDAS

143 Heu mihi, jamdudum pecudes rapuisse Myconis
144 et, scelus infaustum, pueros traxisse per umbras
145 in vetitam venerem, melior dum vita maneret,
146 has sedes tribuere mihi sub vindice justo.

DORILUS

147 Alcidem memini monstrum traxisse trifauce
148 Cecropiumque ducem ex imo jam vallis opacae ;
149 vis rogitem, si forte queam quandoque movere,
150 Pana pium retrahat te nostras mitis in auras ?

LYCIDAS

151 Doryle, ne facias ; nequicquam tangere Olympum
152 jam precibus posses aut irrevocabile fatum.
153 Actum est de me deque illis quos justus in Orcum
154 Archesilas misit quondam. Nunc desine quorsum
155 contendo veniam et reliquos tibi carmine signem.
156 Saetigeros trahit ille sues fortisque frementes
157 illidit scopulis et membra trementia quassat ;
158 summo alius studio ducit de monte molossos,
159 tabo et marcentes cogit gustare paludes ;
160 immanes ursos ex lustris pellit ad undas
161 is tardosque onagros, et ferro tranat adunco ;
162 fascinat hic lynces, demum per devia vertens
163 atque fame longa miseras hinc inde molestat.
164 Nequicquam tibi cuncta velim mala pandere versu :
165 vivimus inviti mortem per aprica cientes.
166 Nunc memor esto tui ; fugientia sidera Phoebum
167 adventare monent, mihi nec fas cernere. Tandem
168 tunc Polypus, quercum dum scandet forte palumbas
169 perquirens, mihi crede, ruet nostrosque tumultus
170 adveniens auget (sic ducunt fila sorores)
171 teque tuis linquet campis : sic vincula solves.

DORILUS

172 Numen honoratum silvis, Pan, te precor, assis,
173 et veniat lux illa mihi : tibi pinguior agnus
174 ex grege quippe tuas ultro ferietur ad aras
175 quas statuam, ludosque traham tibi carmine sacros.

## PANTHEON

AUCTOR

B_11 v.1 Est tibi Phoebus amor, Clio, quem lata per arva
2 insequeris noctesque fugis fuscosque recessus ;
3 Phoebus amat lauros, quas inter saepe labores
4 deposuit sacros : nec te sedisse parumper
5 has subter virides (fervent nunc arva) pudebit.
6 Decantanda mihi veniunt tua carmina Mopso ;

sis fautrix, mecumque chelym tu tange Arethusae :
Mopsus enim pellet nebulas a carmine flabris.
Rupis in absconso, Berecyntia, montis agrestem
en tibi texebat saeptam sociatus Amynta
Glaucus, et ardentes lenibant murmure curas.
Ecce secus Tybrim fulvos per prata juvencos
ac olidas virga cogebat pulchra capellas
Myrtilis, et Glaucum placida sic voce precatur.

MIRTILIS

Glauce pater, si lenta salix tibi vimina prestet
usque opus inceptum peragas, si semper Amyntas
subsidium prestans his tecum vivat in antris,
sis lenis nostrisque fave, mi candide, votis :
suscipe quos cernis tauros, has tolle capellas ;
cornibus insignis frons illis, spargere arenam
spectabis pedibus, lactisque has esse feraces ;
da fontes cantuque fove, da pascua cunctis.

GLAUCUS

O nimium dilecta mihi, jam, Myrtilis, ecce
non cythisum salicesve vides non aspera dumis
sunt spineta meis ; humiles ex vallibus agnis
herbas porto senex paucis. Nam spernimur altis
in silvis Rhodopes ; me spernunt Arcades omnes.
Praeterea, Cacus si viderit, omnia passim
distrahet in jugulum, dum tristes impleat iras.

MIRTILIS

Heu ! satis hinc video : refugis, mi Glauce, quod optem.
Immemor Alcidis nostri qui, carneus olim,
cortice dum parvo vectus torpentia circum
litora Jordanis spectares nunquid ad hamum
venisset piscis studio detentus inani,
te traxit gregibusque suis praefecit amatis.
An tibi quos gessit soli gessisse labores,
stulte, putas ? Cunctis voluit prodesse creatis.
Tolle igitur : novi quantum tibi prata favoris
jam servent ; haec laeta magis quam dudum Aracynthum
viderit Amphion seu natus Apolline colles
Ismari et Amphrysum Phoebus vel Thessala pastor,
prospicies pecori. Nec desunt munera cantu :
stat bicolor myrtus qua tu sub rupe sonantis
Tarpeiae mihi vinctus eris nostrosque per omne
tempus in amplexus venies. Quid carmina servas ?
Dic, age ; jam patulas aures armenta revolvunt ;
et tu, magne comes, stipulis fac dicta secundes
ut sonet omnis ager : tibi sit mea laurea munus.

GLAUCUS

Myrtilis, en vincor ; dabimus tibi carmina. Amynta,
expedias calamos : surgant ad sidera versus.

AUCTOR

Inde pium summa reserans dulcedine pectus,
sic cantare Jovem cepit genitumque sacrumque

flamen ut aethereo resonarent carmine valles.
Hinc quibus una tribus deitas connexa moretur
legibus explicuit, silvis plaudentibus ; inde
quis terras undasque maris caelumque serenum,
nocturnos ignes dederit superosque priores
et Phoebi radios, Veneris Triviaeque reflexus ;
fluminibus valles qua lege et litora ponto
qua flores pratis et densis arbuta lucis
sint concessa prius ; quo post haec ordine campis,
montibus ac celsis fluviisque animalia surgant
atque ferant gressus ; quis se per inane volucres
viribus extollant, quis se reptilia sulco
proserpant humili, quis sulcent aequora pisces ;
quis mentes parcasque viris, quis semina glebis
crediderit primus, saevus quis sanguine terras
innocuo primus macularit, et inscia primus
jussit ut in silvas irent armenta gregesque ;
quis primus placidas pecori componeret umbras
quisve ferox primus ferrum molliverit igne
quisve prior stipulis dederit discrimina vocum.
Acrius hinc culpam cecinit Lycaonis avari
turbatumque Jovem terris silvasque ferasque
et pecudum genus omne simul sub gurgite mersum
et cymba tenui vectum cum semine rerum
Deucaliona pium pariter natosque nurusque.
Hinc lapides jactos hominum ressummere formas
atque Giganteam rabiem, cui ponere Olympum
vertice Pindareo parvum vel Pelion Ossae ;
dejectos colles tandem vanosque superbi
balatus pecoris, colles saltusque petitos
narrabat varios pastoribus atque capellis ;
archipatris pugnas sublataque cornua tauris
Silvanoque sacrum, quod nondum viderat aetas
ulla, pium, magnos servans sub cortice sensus ;
qualiter hinc etiam campos liquisset avitos
et magni promissa Dei partumque secutum
post risum sterilis vetulae grandesque paratus
ut genitum jussu superum mactaret ad aras.
Orbatos hircos merito flammasque Typhoeas
e caelo lapsas silvis vacuasque paludes
et Cinaram bromio captum vigilasse duabus
monstrabat natis ; aris tum numine raptum
inter se varios claros genuisse gemellos ;
hinc siliquas quibus aegra fames compressa furentis
est apri, fraudesque piae Sophronidis orbo,
agnum praepositis dum finxit pellibus hircum ;
exilium pastosque greges munusque receptum
et reditum claudi, visos et in astra volatus
et luctam in somnis habitam Stilbonis agrestem
et clunem tactum pariter nomenque secundum ;
pastorumque dolos et saevas crimine flammas
invidiae puerumque datum Memphitibus auro,
visa Pharan nexusque graves dubiosque solutos ;
hincque Pelusiacis praefectum messibus Argum
pinguibus, et steriles quo restaurasset aristas
jure vel effetos Memphim traxisset amicos,

tristeque servitium superum post fata nepotum.
Inde Phoroneum quem sustulit Isis ab amne,
Niliacas pestes et nectos gurgite capros,
errores duros, damnatas sidere arenas
ac inopes campos, nimium querulosque subulcos
et saxo latices lapsos et ab aethere panes,
jussa Jovis dum tecta sibi, dum sacra parari
vellet, et absconsos alta sub nube recessus,
celso et Idumaeo descriptas vertice leges,
illisas scopulo postquam conflatus Osiris ;
vulnera serpentum, serpentis et irrita visu,
et, canibus campis telis arcuque fugatis,
agros post aequa concessos sorte colonis.
Pastorum veteres cantabat et inde palaestras,
serta ducum, baculos, sedes et frondea tecta
caespite prae viridi, structum de marmore templum
et morbis assumpta malis armenta gregesque,
pingue solum fuso grandi persaepe cruore,
aggere nudatas silvas et vellera rapta
orbatumque ducem pecoris per compita Tigris :
dispersosque greges saeptas complesse forenses,
orsa deum sensu complexa et somnia vatum,
sacra hominum polluta malis reducesque magistros,
ac ulmis frustra cecinit post praemia fixa.

GLAUCUS

Substitit hic paulum sumpturus pectore vires
exhaustas cantu Glaucus ; post : "O ! Precor - inquit - ,
Romulides, majora canam, date carmina, nymphae".

AUCTOR

Inde satum Maia caelo per nubila lapsum
cepit, et in Danis tegulas penetrasse canoras ;
cumque patris jussu sacros narrasset amores,
consensu primo Danis, mirabile dictu,
Virginis in gremio verbum sine semine carnem
factum cantabat, magnum super omnia ! , Nec non
Virginis infractum decus inde fuisse pudoris
virginei nascente Deo. Fides ista, precor, sit.
Hinc pedibus pulsare solum cantusque movere
vidisses satyros festasque agitare choreas,
et faunos nymphasque simul Latiasque puellas
floribus et minio sertisque virentibus omnes
insignes, dextris et tangere cymbala doctis ;
et dulci quodam tinnitu psallere caelum
ac fulgore novo totum splendescere, et ultro
tum varios pratis circum diffundere odores
atque novis radiis flavum fervescere solem
et placidam Phoebem fratri conjungere currus ;
rore polos humidos et claro Juppiter imbre
arentes quondam placide perfundere terras ;
ludere capreolos, cantu dulcesque volucres
arbustis certare, ignes emittere montes,
laetari valles, grandes insurgere cautes ;
surgere tum dumis ramos bicoloris olivae,
serpentes hederas, lauros et crescere palmas.

Quid cedros Libani, crinitas dicere pinus
litoris Adriaci, quid vites usque Falerni,
quarum antes gemmas effeti fundere visi,
molliri sentes validae, juncique palustres
extolli et salices vitreae ? Quid cuncta repandam ?
Omnia laetitia gaudent et carmine certant.
Solus in absconso Plutarchus tristior antro
flet misere stauratque domos et limina sera
firmat ut in cassum temptet post vulnera Codrus
ingressum, saevasque jubet vigilare sorores.
Ipse tamen Glaucus, dum cerneret omnia secum
laetari, faciles fundebat pectore voces ;
et sese coeptis referens, cantabat odoros
pastores puero portantes thura Sabaeos
advenisse quidem celeri ad praesepia passu,
sidere dante viam montana per ardua claro.
Huncque per exustas latum referebat arenas
Virginis in gremio genitricis adusque canopos
et rabidum fugisse lupum maestosque dolentum
balatus ovium caesos ob nequiter agnos ;
hincque globos legum solventem voce Lycurgum
pastorum in medio puerum, gesta atque priorum ;
inde, Nathan fluvio lotum, monstrasse futuris
quo lavacro porcos mundaret sorde vetusta ;
in Bromiumque Thetim versam pulsosque carones,
compositos ignes ventos fluctusque tumentes,
Asclepii jussu, manesque umbrasque sepultas
ad superos remeasse iterum firmabat ; et hujus
ostensum dudum quibus artibus usque dolentes
purgentur vitio pecudes, oleumque veternum
quo lapsae juvenum firmentur robore vires.
Inde Palem glandes, quas nusquam terrea quercus
gesserit in vitam, posuisse labantibus aegris
in cenam pueris, et jussa extrema dedisse
Actaeona pium, cecinitque hunc fraude Menalcae
post epulas, lotis pedibus precibusve peractis,
objectum canibus, quos inter pessima passum
plurima cantabat, mortique dedisse tropaeum
de se, jam nimiis laceratum morsibus, ob quod
conscissos lapides tractosque in viscera fontes,
concussos motu montes lucosque revulsos,
aethere et in terris sparsas in luce tenebras,
territa per silvas pecora atque armenta ducesque,
auditum mugire solum, veteresque parentum
surrexisse animas tumulis silvisque revisas.
Herculis hinc durum monstrabat voce laborem,
ostia dum scopulis firmata refringere Caci
est ausus, raptosque boves excerpere furi ;
necnon interea subdebat in ordine cantu,
post triduum laceros artus consurgere vivos
Hippolyti, et silvis iterum gregibusque revisum
insignem lauro et palmata veste triumphi :
mirum grande nimis, sed quid non Juppiter ingens,
dum voluit, potuit ? Post haec, ad sidera motu
ascendisse suo Phoebum, clarosque relictis
infusos ignes sociis quos traxerat ante ;

hosque per Arturum missos serosque Britannos,
Aethiopas fuscos et Gangis fulgida rura.

GLAUCUS

"O tibi, nympha, decus, quot surgere laeta per agros
purpureos flores et candida lilia cernes
mixta simul croceis ! Quot surgere laeta per agros
templa deum, sacras laudes et munera cernes,
et quos pulchra coles campos replerier omnes
Elysios et dulce solum regionis avite !
Hinc Codrus veniet, postquam resoluta jacebit
igne novo tellus, agnis seponere capros
atque dabit rebus finem requiemque bubulcis.
Sed jam tempus adest rivos claudamus, Amynta".

AUCTOR

Dum cecinit Glaucus, tacuit sine murmure Tibris ;
Myrtilis auratos frugum fluviique recentis
immemores tenuit tauros, quos flumine vivo,
jam Glauco reticente, simul se mergier undis
spurcitiem veterem tergentes atque renatos
misceri sese gregibus per pascua Glauci
vidisses plausuque novo concedere carmen.
Hesperus Oceanum cantu detentus Olympo
respuit et seras concessit montibus umbras.
Ite domum, pueri, pastas revocate capellas ;
ipse legam lauros : vati vos plaudite, colles.

## SAPHOS

CALIOPES

B_12 Quid, puer, has inter lauros stultissime, quaeris,
nunc has nunc illas carpens ? Temerarie, nescis
sacrilegum violare nemus nisi conscia Quiris
optatas frondes merito concesserit ante ?

ARISTEUS

O scelus ! Ex minimis tris forsan captus odore
excerpsi. Seu nympha loci seu sis dea, nostras
excute tu quercus ac omnes collige glandes.

CALIOPES

Cogis ut in risum veniam. Sic, obsecro, quercus
aequiparas lauris ? Non illas Juppiter olim
extulit in tantum, quamquam sibi prisca dicarit
illas religio. Nescis, stolidissime, porcis
serventur glandes et laurea serta poetis ?
Quos nemori fontique sacro pulchrisque Camenis
et citharis plectrisque suis praefecit Apollo.

ARISTEUS

Ergo sacrum Phoebi nemus hoc, pulcherrima virgo ?
Nescius optatum teneo. Quis denique praestet

quo visurus eam laudatam carmine Mopsi
egregiumque gregem vatum nymphasque canentes ?

CALIOPES

Quid quaeris, nemorisque mei quid conspicis umbras ?

ARISTEUS

Ut videam Saphon. Nostin ? Da, nympha, recessus
quis nunc lenta diem vertat ludendo per herbas.

CALIOPES

Quid tibi cum Saphu, cum sis puer atque subulcus ?

ARISTEUS

Heu, quid ? Quid juveni credis cum virgine pulchra ?
Uror et amplexus cupio, turmasque reliqui
invisam ut videam, nec quorsum quaerere novi.

CALIOPES

Tu cupis amplexus Saphu ? Nunc sidera lambant
quos trahis ipse sues volitentque per aethera vulpes,
grux trahat ac anser pariter per rura quadrigas !
Si memini, tu nuper haras mundare solebas,
et scabiem morsusque canum seu vulnera veprum
nunc manibus purgare palam nunc gurgite turpi,
unguine nunc vario succisque potentibus atque
galbaneis fumis nigrique bituminis offa ;
viribus hellebori stillaque dolentis amurcae
vel potu tristes alvi depellere sordes,
ac herbis variis formare volutabra porcis :
et nunc Saphon amas ? Exspectet te quoque Pallas !

ARISTEUS

Erras ; Argus erat. Sed quid non Saphon amarem ?
Me Galathea diu, me quondam Phyllis amavit,
et mollis lanugo genas nunc serpere coepit,
tradidit et calamos nobis Pan doctior olim
et cantus docuit. Nec plebis faece creatus :
Cyrenes genitrix est nobis, Thessala nympha ;
nomen Aristaeus ; glandes et mella vetusti
Arcados accipio nemoris. Te nosse putabam.

CALIOPES

Nunc ego te teneo. Sic est, novisse decebat.
Ismarius tu grandis eras, tu Cretis es Idae !
Non ego te vidi pridem vulgare canentem
in triviis carmen, misero plaudente popello ?

ARISTEUS

Vidisti, fateor. Non omnibus omnia semper
sunt animo, puero carmen vulgare placebat.
Illud Lemniadi claudo concessimus ; ast nunc
altior est aetas, alios quae monstrat amores.

CALIOPES

Ecastor ! memini, nuper dissolvere linguam

55 vix poterat Bathos ; subito nunc culmina poscit
56 Parnassi, stolide captus fervore dearum,
57 factus Aristaeus. Sed quid non fecit Olympus ?

ARISTEUS

58 Quid loqueris nunc ipsa tibi ? Da, nympha, precamur,
59 virginis antra meae ; crucior, me fervor adurit.

CALIOPES

60 Quaerere credo putes Phyllim seu forte Lupiscam,
61 quas nemorum pomis trahitis quandoque per umbras.
62 Haec dea, magna quidem, paucis et cognita dudum.

ARISTEUS

63 Maeonius pastor potuit vidisse Tonantis
64 consortem natasque duas sub quercubus altis,
65 exuviis nudas : quid non ego cernere Saphon ?

CALIOPES

66 Sic illis visum. Dic, tu quo noveris illam ?

ARISTEUS

67 Minciadem Silvanus heri, qua Sorgia saxo
68 erumpit Vallis currens per devia Clausae,
69 convenit, placidaque simul sedere sub umbra
70 ilicis antiquae. Quos postquam fronde virenti
71 umbrasse aesculea frontes et carmine vidi
72 certantes ambo ferrent super aethera cantum,
73 accessi : et tacitus mediis vepretibus altis
74 delitui, porcis Getae siliquisque relictis.
75 Laudibus hi Saphon, resonantibus undique saxis,
76 vocibus et calamis pariter super astra ferebant.
77 Miratus, fateor, confestim a Phyllide mentem
78 diverti, sensique novos ambire furores
79 intentum modulis pectus ; captusque repente
80 exquiro Saphon, cupiens quibus ipsa moretur
81 antra videre oculis. Quid si tu forsitan esses ?
82 Nam gestu facieque deam verbisque fateris.

CALIOPES

83 Non ausim, juvenis, Saphon me dicere, cum sim
84 obsequiis injuncta suis. Si inspexeris illam,
85 longe aliud dices. Verum tibi maximus instat
86 ante labor. Nimium celsos intratis amores
87 praecipites, cum turpe nimis sit vertere gressus.

ARISTEUS

88 Quid Saphos, si tanta tibi reverentia vultus ?
89 Non equidem silvis Phyllis, non Delia caelo
90 pulchrior. Ast nobis nomen, pulcherrima virgo,
91 pande genusque tuum, si nostras venit ad aures.

CALIOPES

92 Calliopes vocitor, magni Jovis inclita proles,
93 Castalii nemoris custos fontisque sonori ;
94 ut reor, omnino vestris incognita silvis.

ARISTEUS

Imo equidem memini : grandis sic ante canebat
Minciades grandisque simul Silvanus in antro.
Tu silvas resonare doces, tu maxima Saphu
voce refers concepta sacri tibi pectoris hausta.
Sed dic quas teneat sedes pulcherrima Saphos.

CALIOPES

Panis nata dei celsum tenet optima Nysae
Saphos, Gorgonei residens in margine fontis.
Hujus sidereos oculos faciemque serenam
concessum paucis dudum vidisse bubulcis ;
laurea serta tegunt et velum frontis honestae.
Cujus in obsequium circumsumus inde sorores
Pierides omnes ; sibi cantat pulcher Apollo.

ARISTEUS

Quid montes habitat Saphos ? Quid respuit urbes,
quid faciem formosa tegit renuitque videri ?

CALIOPES

Haec sibi, dum vigilat, nemorum meditatur honores,
atque sedens fuscos Plutarchi visitat hortos,
concipiens nigrae fletus et dissona silvae ;
vel pelagi secreta notat lucosque sub undis,
Phorcinidumque choros trahit et persaepe Napaeas :
vel petit Elysios colles et gramina laeta
conspicit et placidos flores frondesque virentes
ac avium cantus et pulchri sidera caeli,
visaque sublimi complectitur omnia plectro
et viridis complexa libri sub tegmine ponit.
Anne putas vulgus stolidum seu garrula turba
auritos tondens asinos permitteret ista ?
Non equidem : clamore gravi, dum stringeret hircos,
omnia turbaret. Montana ergo otia duci
pace sibi plena expetiit mea fulgida diva ;
et quia quos quaerit frustra lasciva puella
Chironi flores pedibus calcamus euntes
vere novo, Saphos celso se condidit antro
atque sacros lauro texit castissima vultus.

ARISTEUS

Vidi ego conflantem carmen caeleste Aracyntho
pastorem celebrem primo, tandemque cicuta
sublatum ; et Latiis se pulsum vidit ab arvis
qui Poenos saeptis contriverat ante leones.
Sat vidisse oculis semel est mirabile quodque.

CALIOPES

Sic est, sic sanctum nimio contemnitur usu.
Praeterea vultu quidam carpsere minaci
innocuam maculisque piam depingere frontem,
si possent, ausi ; quae postergasse necesse est.

ARISTEUS

Imo age, nympha, precor ; maculas ostende nefandas.

CALIOPES

Mendacem et stupris foedam morumque ruinam
hanc plures dixere deam, scaenasque colentem
dixerunt alii mimamque ambire theatra ;
soccos nonnulli damnant veteresque cothurnos :
hi, superum fidibus dicunt quia cantet amores
et facie ficta gestus designet avitos,
pellendam patria quasi regnans occupet urbes ;
Sirenam vocitant alii lucrique voracem,
cum nequeant renuantque suos cognoscere cantus.
His etiam commota, volens sua culmina servat.

ARISTEUS

Dum porcam Cereri, Baccho dum cedimus hircum,
forte graves vino ludentes talia quidam
eructant curanda parum, pereuntque per auras.

CALIOPES

Non sic ; conati nemorum maculare priores.

ARISTEUS

Qui, precor ? An sano tanta est insania cuiquam ?

CALIOPES

"Ericolas" tales merito dixere veterni.

ARISTEUS

Non satis accipio qui sint. Tu, credo, Platoni,
Nympha, putes nunc verba loqui magnove Lycurgo :
rusticus et paucis assuetus, nympha, rudisque.

CALIOPES

Qui nuper raptas pecudes ex ore luporum
dentibus excerpunt, magnos audentque boatus
vendere simplicibus ; qui sese noscere causas
infecti pecoris, fontes herbasque salubres,
et caeli mutare vices nemorumque fatentur ;
qui superum sedes describunt voce superbi
et sentire deum sensus causasque moventes
in silvas fulmen, sacra atque piacula dicunt.

ARISTEUS

Quid, precor, agricolis est cum pastore ? Per agros
ille boves terram cogit rescindere aratro,
hic cogit virga pecudes in pascua ; cogit
vinitor ut certo consistant ordine vites,
lac premit iste manu quod sumpsit ab ubere pingui :
rancidulus nil ergo videt de jure bubulci
rusticus, et pastor nescit de more bufulci.
Nullum sorte sua contentum liquit Erinys ;
hinc peragunt rixas tauri saevique leones.
Sed da, quaeso, viam qua possim lenius alta
scandere Parnasi Saphonque videre canentem.

CALIOPES

176 Turbavere quidem vestigia longa viarum
177 et nemorum veteres rami cautesque revulsi,
178 implicite sentes pulvisque per aethera vectus ;
179 velleris atque fames et grandis cura peculi
180 neglexit latos montis per saecula calles.
181 Hinc actum ut, scrobibus visis, in terga redirent
182 jam plures peterentque suos per pascua fines.

ARISTEUS

183 Non ego convertar facilis ; nam saepe nivosi
184 conscendi rupes pedibus scopulosque Lycaei.
185 Omnia continui superant, mihi crede, labores.

CALIOPES

186 Vicit et ingenium vires : non talia quivit
187 exsuperare labor. Frustra sudavit in altum
188 ferreus Arpinas, calamis et voce sonorus.

ARISTEUS

189 Mens illi non ista fuit nec carminis ardor.
190 Nascimur in varios actus, quos optima virtus
191 si sequitur, facili ducetur ad ultima cursu.

CALIOPES

192 Si tibi tantus amor fontis Saphuque videndi,
193 accipe consilium : nam quemquam ducere nobis
194 ipsa quidem vetuit Saphos, et lege perenni.
195 Solus inaccessum potuit conscendere culmen
196 nuper Silvanus, nobis nec carior alter
197 Minciadis post fata fuit ; non pastor Opheltis,
198 Aonii pecoris stragem qui carmine pinxit.
199 Hunc adeas ; dabit ipse tibi quibus usus amicis
200 et quibus ipse viis conscendit culmen amatum.

ARISTEUS

201 Ibo quidem et geminos mecum portabo suellos,
202 Silvanum si forte queam divertere donis.

## LAUREA

DAPHNIS

B_13 v.1 Otia nunc celebras, Stilbon, mirabile visu !
2 Et qui scabrosas ambire sueveris alpes,
3 candidulos manibus tractans hinc inde lapillos
4 torrentis vitrei, recubas jam segnis in umbra.

STILBON

5 Rupe sub hac celsa nuper versutus Amyclas
6 forte recensebat capros et pulchra Phaselis
7 frondosas salicum carpebat ab aggere virgas
8 falce, gregum raris cupiens innectere saeptis.

Hi fessum tenuere pecus, tenuere magistrum,
et quos debebant haedos mihi forte dederunt.
Sed tu quid valles peragras, qui lentus in antris
nunc calamis nunc voce deos mulcere solebas ?
Ardua non rapidi librat, dic, Phoebus Olympi ?

DAPHNIS

Librat. Non homini semper datur aequa voluptas.
His umbris equidem tecum refovebo capellas
quas habeo fessas, dum scendat mitius astrum.

STILBON

Imo age, da rivos hircis umbrasque capellis,
et mecum, mi Daphni, sede ; placideque, precamur.
Dic quae te curae curvatum fronte fatigent.

DAPHNIS

Gargaphias memini valles, dum sibilus aurae
is me lenis agit : zephyrus sic omnia circum
complebat. Tunc ipse meam cantare solebam
Elpida, qua silvis visa est nec pulchrior ullis.

STILBON

Elpis nota mihi, sed non quam forte recenses ;
haec Chrysidis comes : et tua quae fuit, obsecro, Daphni,

DAPHNIS

incola Parnasi, Nysae sociata Napaeis.

STILBON

Caecus amor, caecique sumus quicumque sequentes !
Aonias colit iste deas quibus ultima rerum
pauperies conjuncta manet semperque manebit,
caelitibusque diis praefert suadente Dione !
Silvestres bacas dat laurus et alga cubile,
pallentesque legunt versus et murmura cryptis.
Tityrus Ismenus Thybris cantavit ad undas
pastores Tyrios et fractos vulnere tauros
Argolicos, victusque fame post vendidit agnam
nec potuere sitim latices sedasse Taliae.

DAPHNIS

Sunt oleae molles et poma recentia mensis
addita nunc vestris et strata cubilia fronde
silvis in mediis, servat dum Nursia ludum ;
sed qui Maeonias aurum faciebat arenas
ac dives Latius, potator Parthicus auri
quas habuere dapes dum flexit nubila vultus ?
Vivimus immunes, monstri nec pendimus iras,
contenti paucis lauroque innectere crines.

STILBON

Rara refers equidem, duris et debita fatis.
Si vacat, enumera quot pavit Taurus Amyntae,
quotque greges Mopso Pindus, quot Maenalus Argo,
quot Polybo Eurotas, Phorbanti quotque Erymanthus ;

Alcidis numera pompas tumulosque Canopum :
deficiet tempus ; fulgent monimenta priorum.
Vos stolido montes fertis volitasse boatu
saxaque Dircae, tum fluvios undasque sequaces
in fontes rediisse suos quercusque revulsas,
Castaliis nymphis cithara cantantibus olim.

DAPHNIS

Sic orbare procos Chrysis haec male cognita novit,
dum voluit, miseros. Sed, ne vertantur in iram
jurgia, cantemus carmen sub judice certo.
Tuque Ligus, Tyrrhenus ego : tibi fistula collo,
suntque mihi tenues stipulae ; cantabimus ambo.

STILBON

Credis ut effugiam forsan ? Mihi tradidit Hermes
compertos calamos ; sumus et cantare parati,
Arcadios quamquam dicas habuisse magistros.
Et, quod non audes, munus certaminis ipse
deponam vitulam, qua non est pinguior ulla
armentis, etiam si clamitet inde noverca.

DAPHNIS

Est mihi grex parvus, nec possum munera tanti.
Dux gregis est hircus : tibi sit, si victor abibis.

STILBON

Te dignum ponis munus ; non, hercle, recuso.
Est mihi quam credas ars major ; victor abibo.
Sed quis erit, quaeso, judex certaminis hujus ?

DAPHNIS

Non video in ripa purgantem vellera Critim
nunc ovium lappasque gregis tribulosque levantem ?
Criti, tibi dico, nobis nunc, quaesumus, adsis
et nostros animo medius fac collige versus.
Ardua res agitur, magno sub munere, nobis.

CRITIS

Dicite, namque adero donec sua vellera siccet
hoc pecus. En sedeo ; dulces dat parvulus amnis
tinnitus medios inter labendo lapillos,
atque tacent volucres. Stilbon, tu dicito primus,
hinc Daphnis : vicibusque suis det carmina quisque.

STILBON

Hos calamos tibi, sacra, damus, si vicero, quercus.

DAPHNIS

Tuque, virens semper, nostros mea laurus, habeto.

STILBON

"Noster amor Crisis est, nostros levat ipsa labores ;
ipsa vias nemorum florum distincta corollis
ostendit stipulisque meos describit amores
frondibus ut videam veniens quod pergat in antrum".

DAPHNIS

"Currit in amplexus, quotiens libet ire per umbras
aetherei nemoris, nostros mea Lesbia Saphos :
atque volens Pario lapidi mihi carmina caeltae
imprimit et duris mandat mea nomina tophis".

STILBON

"Carpathiae valles servant sub judice Protheo
mille mihi vitulos, totidem pinguissima Cyrnos
hircos cum gregibus nutrit ; premit ubera Dilos,
congerit Alopis census onagrosque fatigat".

DAPHNIS

"Maenalus et nobis lunata fronte juvencos
bis totidem ; his fontes Silvanus monstrat et herbas,
Parnassusque biceps Musis cantantibus auget
lanigeras agnas et grandia praemia servat".

STILBON

"Jungere delphines, magnas et cogere frenis
balenas nullos voluit docuisse Thalasson
nos praeter, quos saepe manu superasse sonoros
Tritonas vidit, natas et vincere Phorci".

DAPHNIS

"Ponete nos docuit fines aliquando Thalasso
Phoebus, et agrestes Phintonas vincere telis
et stipulis grandes in rixas vertere divos,
dum nemus omne suum lustramus pectine vates".

STILBON

"Massicus arva serit, servat Garganus aristas,
vina ligus noster, Dictaeus retia tendit,
mella dat Hyblaeus suppletque armenta Britannus,
et, si thura petam, Libanus dabit optima nobis".

DAPHNIS

"Quis caelum primus dederit, quis sidera caelo,
quis frondes silvis praestet, quis semina rerum,
fortunas nemorum cantataque damna tropaeis
designat radio Pallas pulcherrima nobis".

STILBON

"Novit Hyperboreus quae gignat maximus Atlas,
quidque ferat Meroe fervens Scandinavia novit
nostro opere ; ac undas volucres miscemus Ibero
Gangis, et Aethiopum Boreas cognoscit arenas".

DAPHNIS

"Ferrea vox nobis, annis invictaque laurus :
Cantaber hinc noscat facimus quos non videt Indos,
ac Orco mersos superas revocamus ad auras,
et magnum placidis superamus cantibus annum".

STILBON

"Palmite pampineo Cereris sacra cinget Eleusis,
Cynthius aut rapiet buxos et tympana Bacchi,
ac olidus Paphiae Veneri mactabitur hircus,
si Mopsi calamis tenuis superetur Amyclas".

DAPHNIS

"Dum cingent ulmos hederae parientque corymbos,
margine Penei dum surgent undique lauri,
litore dum bicolor nascetur myrtus amato,
a tenui Bavio grandis vincetur Amyclas".

STILBON

"Phorcinidum laeti nautae cantamus amores,
at tristi torpent scrobibus cum murmure vates ;
Aeolus inde favet, coeptis favet inde Palemon ;
Libethrides rident versus, rident Aganippae".

DAPHNIS

"Heroum laeti vates cantamus honores,
at nautas miseros scopulus terit, unda fatigat ;
Libethrides servant carmen, servant Aganippae ;
Aeolus inde rapit miseros, rapit inde Palemon".

STILBON

"Scis flevisse deas, fidibus stipulisque canoris
confractis parva ventis surgente favilla,
Romuleus Mavors quandoque volumina mille
solvit et in cineres jussit volitare papyros".

DAPHNIS

"Romuleus nuper Cilices dispersit Amyntas,
montanos faciens solitos innare carinis ;
sic Ligurum veniet qui calcet colla superbus
anguis, et eripiat male partos undique capros".

CRITIS

Jurgia pastorum non est compescere parvum.
Et tu dignus eras vitula, tu dignus et hirco.
Sat dictum, pueri : duras componite lites.
Ibo ego nunc agnis tonsurus forfice lanam.

## OLYMPIA

SILVIUS

B_14 Sentio, ni fallor, pueri, pia numina ruris
laetari et cantu volucrum nemus omne repleri.
Itque reditque Lycos blando cum murmure ; quidnam
viderit ignoro : cauda testatur amicum.
Ite igitur, jam clara dies diffunditur umbris,
praecantata diu ; quid sit perquirite quidve

viderit inde Lycos noster compertaque ferte.

CAMALUS

Dum nequit in somnum miserum componere pectus,
imperat ex molli recubans, heu, caespite maestus
Silvius, et noctis pavidas lustrare tenebras
vult pueros, longo fessos in luce labore.

SILVIUS

Camale, dum primos terris praestabit Iberus
nocturnos ignes, currus dum Delia fratris
ducet ad occasum, dum sternet cerva leones,
obsequium praestabit hero sine murmure servos.
O Terapon, stabuli tu solve repagula nostri ;
pone metum : videas catulus quid viderit, oro.

TERAPON

Festina, fac surge, senex ! Jam corripit ignis
jam veteres quercus et noctem lumine vincit ;
uritur omne nemus, fervens jam flamma penates
lambit, et occursu lucis perterritus intra
festinus redii. Lambit jam flamma penates !

SILVIUS

Pastorum venerande deus Pan, deprecor, assis ;
et vos, o pueri, flammis occurrite lymphis.
Siste parum, Terapon, paulum consiste. Quid istud ?
Quid video ? Sanusne satis sum ? Dormio forsan ?
Non facio ! Lux ista quidem, non flamma vel ignis.
Nonne vides laetas frondes corylosque virentes
luminis in medio, validas ac undique fagos
intactas ? Imo nec nos malus ardor adurit.

TERAPON

Si spectes caelo, testantur sidera noctem :
in silvis lux alma diem. Quid grande paratur ?

SILVIUS

Sic natura vices variat, noctemque diemque
explicuit mixtos terris ; nec lumina Phoebes
nec solis radios cerno ! Non sentis odores
insolitos silvis ? Nemus hoc si torte Sabaeum
fecisset natura parens ... Quos inde recentes
nox peperit flores ? Quos insuper audio cantus ?
Haec superos ambire locos et pascua signant.

OLYMPIA

Salve, dulce decus nostrum, pater optime, salve !
Ne timeas, sum nata tibi. Quid lumina flectis ?

SILVIUS

Nescio num vigilem, fateor, seu somnia cernam,
nam coram genitae voces et dulcis imago
stant equidem : timeo falli, quia saepe per umbras
illusere dii stolidos. Nos claustra petamus.

OLYMPIA

Silvi, quid dubitas ? An credis Olympia patrem
ludat et in lucem sese sine numine divum
praebeat ? Huc veni lacrimas demptura dolentes.

SILVIUS

Agnosco : nec fallit amor, nec somnia fallunt.
O nimium dilecta mihi, spes unica patris,
quis te, nata, deus tenuit ? Te Fusca ferebat,
Chalcidicos colles et pascua lata Vesevi
dum petii, raptam nobis Cybelisque sacrato
absconsam gremio nec post haec posse videri ;
quod credens maerensque miser, mea virgo, per altos
te montes umbrasque graves saltusque remotos
ingemui flevique diu multumque vocavi.
Sed tu, si mereor, resera : quibus, obsecro, lustris
te tenuit tam longa dies ? Dic, munere cujus
intertexta auro vestis tibi candida flavo ?
Quae tibi lux oculis olim non visa refulget ?
Qui comites ? Mirum quam grandis facta diebus
in paucis : matura viro mihi, nata, videris !

OLYMPIA

Exuvias quas ipse mihi, venerande, dedisti
ingenti gremio servat Berecyntia mater ;
has vestes formamque dedit faciemque coruscam
parthenos, secumque fui. Sed respice nunquid
videris hos usquam comites : vidisse juvabit.

SILVIUS

Non memini vidisse quidem : nec pulchrior inquam,
his Narcissus erat, non talis denique Daphnis
qui Dryadum spes laeta fuit, non pulcher Alexis.

OLYMPIA

Non Marium Julumque tuos dulcesque sorores
noscis et egregios vultus ? Tua pulchra propago est.

SILVIUS

Abstulit effigies notas lanugine malas
umbratas vidisse meis. Jam jungite dextras
amplexusque meos ac oscula laeta venite
ut praestem satiemque animam ! Quas, Pan, tibi laudes,
quas, Silvane, canam ? Pueri, nudate palaestras
et ludos agitote patrum. Stent munera fagis
victorum suspensa sacris, paterasque parate
spumantes vino, laetum cantate Lyaeum
et sertis ornate lares ; altaria surgant
caespite gramineo ; Triviae mactate bidentem
candidulam, Noctique pie sic caedite fulvam.
Fer calamos pueris, Terapon, fer serta puellis.

OLYMPIA

Sunt, Silvi, calami, sunt serta decentia nobis,
et, si tanta tibi cura est deducere festum,

ignotos silvis modulos cantabimus istis.

SILVIUS

Imo, silva silet, tacitus nunc defluit Arnus
et silet omnis ager : pueri, vos atque silete.

OLYMPIA

"Vivimus aeternum meritis et numine Codri,
aurea qui nuper, celso dimissus Olympo
parthenu in gremium, revocavit saecula terris ;
turpia pastorum passus convicia, cedro
affixus, leto concessit sponte triumphum.
Vivimus aeternum meritis et numine Codri.
Sic priscas sordes, morbos scabiemque vetustam
infecti pecoris praeclaro sanguine lavit :
hincque petens valles Plutarchi saepta refrinxit,
in solem retrahens pecudes armentaque patrum.
Vivimus aeternum meritis et numine Codri.
Morte hinc prostrata, campos reseravit odoros
Elysii, sacrumque gregem deduxit in ortos
mellifluos victor lauro quercuque refulgens,
optandasque dedit nobis per saecula sedes.
Vivimus aeternum meritis et numine Codri.
Exuvias in fine sibi pecus omne resummet ;
ipse, iterum veniens, capros distinguet ab agnis,
hosque feris linquet, componet sedibus illos
perpetuis caeloque novo ; post tempora claudet.
Vivimus aeternum meritis et numine Codri".

SILVIUS

Sentis quam stulti Latios cantare putamus
pastores calamis, perdentes tempora vocum ?
Maenalios vidi juvenes per dorsa Lycaei,
Threicium et vatem solitum deducere cautes
carmine, nec quemquam possum concedere tanti
ut similem natis faciam. Quae guttura ! Quae vox !
Quis concentus erat ! Stipulis quis denique flatus !
Non equidem nemoris custos regina canori
Calliopes, non ipse deus qui praesidet antro
Gorgoneo aequiparet. Flexere cacumina quercus,
et tenues nymphae tacitos petiere regressus
in lucum, mansere lupi catulique tacentes.
Praeterea, o juvenes, sensistis carminis hujus
caelestes sensus ? Numquam mihi Tityrus olim
cantavit similes, senior nec Mopsus apricis
Parrhasius silvis : sanctum et memorabile totum est.
Virginibus niveae dentur mea cura columbae,
ast pueris fortes dederat quos Ischyros arcus.

OLYMPIA

Sint tua ; nil fertur quod sit mortale per oras
quas dites colimus ; renuunt aeterna caducum.

SILVIUS

Quas oras, mea nata, refers ? Quas, deprecor, oras ?
Nos omnes teget illa domus, somnosque quietos

herba dabit viridis caespesque sub ilice mensam ;
vitreus is large praestabit pocula rivus ;
castaneas mites et poma recentia nobis
rustica silva feret, teneros grex fertilis haedos
lacque simul pressum. Quas ergo exquiritis ora ?

OLYMPIA

Non tibi, care pater, dixi, Berecyntia mater
exuvias gremio servet quas ipse dedisti ?
Non sum quae fueram, dum tecum parvula vixi ;
nam numero sum juncta deum. Me pulcher Olympus
exspectat comitesque meos ; stat vertere gressus
in patriam : tu vive, pater dulcissime, felix !

SILVIUS

Heu, moriar lacrimans, miserum si, nata, relinquis.

OLYMPIA

Pone, precor, luctus ; credisne refringere fatum
nunc lacrimis ? Omnes silvis quotcumque creati
nascimur in mortem : feci quod tu quoque, Silvi,
post facies. Noli, quaeso, lacerare deorum
invidia aeternos annos ; tibi crede quietem
post funus laudesque pias mihi reddito caelo,
quod moriens fugi mortem nemorumque labores.
Separor ad tempus ; post haec me quippe videbis
perpetuosque trahes mecum feliciter annos.

SILVIUS

In lacrimis oculos fundam tristemque senectam.
Heu, quibus in silvis post anxia fata requiram
te profugam, ex nostris bis raptam viribus oris ?

OLYMPIA

Elysium repeto, quod tu scansurus es olim.

SILVIUS

Elysium, memini, quondam cantare solebat
Minciades stipula, qua nemo doctior usquam ;
estne, quod ille canit, vestrum ? Didicisse juvabit.

OLYMPIA

Senserat ille quidem vi mentis grandia quaedam,
ac in parte loci faciem : sed pauca canebat,
si videas quam multa tenet, quam pulchra piorum
Elysium sedesque deum gratissima nostrum.

SILVIUS

Quos tenet iste locus montes ? Quibus insitus oris ?
Quae non Minciades vidit seu sponte reliquit
da nobis. Audire fuit persaepe laborum
utile solamen : veniet mens forte videndi.

OLYMPIA

Est in secessu pecori mons invius aegro,
lumine perpetuo clarus, quo primus ab imis

insurgit terris Phoebus, cui vertice summo
sylva sedet palmas tollens ad sidera celsas
et laetas pariter lauros cedrosque perennes,
Palladis ac oleas optatae pacis amicas.
Quis queat hinc varios flores, quis posset odores
quos lenis fert aura loco, quis dicere rivos
argento similes mira scaturigine circum
omnia rorantes, lepido cum murmure flexus
arbustis mixtos nunc hinc nunc inde trahentes ?
Hesperidum potiora locus fert aurea poma ;
sunt auro volucres pictae, sunt cornubus aureis
capreoli et mites dammae, sunt insuper agnae
velleribus niveis claro rutilantibus auro
suntque boves taurique simul pinguesque juvencae,
insignes omnes auro, mitesque leones
crinibus et mites grypes radiantibus auro.
Aureus est nobis sol ac argentea luna,
et majora quidem quam vobis sidera fulgent ;
Ver ibi perpetuum nullis offenditur austris
laetaque temperies loca possidet. Exsulat inde
terrestris nebula et nox et discordia rerum :
mors ibi nulla manet gregibus, non aegra senectus,
atque graves absunt curae maciesque dolorque ;
sponte sua veniunt cunctis optata. Quid ultra ?
Dulcisono resonat cantu mitissimus aer.

SILVIUS

Mira refers ; sanctamque puto sedemque deorum
quam memoras silvam. Sed quisnam praesidet illi ?
Et comites, mea nata, refer ritusque locorum.

OLYMPIA

Hac in gramineo summo sedet aggere grandis
Archesilas, servatque greges et temperat orbes ;
cujus enim si forte velis describere vultus,
in cassum facies : nequeunt comprendere mentes.
Est alacer pulcherque nimis totusque serenus,
hujus et in gremio jacet agnus candidus, ex quo
silvicolis gratus cibus est, et vescimur illo ;
inde salus venit nobis et vita renatis.
Ex his ambobus pariter sic evolat ignis
ut mirum credas ; hoc lumen ad omnia confert :
solatur maestos et mentis lumina purgat,
consilium miseris praestat viresque cadentum
instaurat, dulcesque animis infundit amores.
Stat satyrum longaeva cohors hinc undique supplex,
omnis cana quidem roseis ornata coronis,
et citharis agni laudes et carmine cantat.
Purpureus post ordo virum venerabilis, inquam,
et viridi cunctis cinguntur tempora lauro :
hi cecinere Deum stipulis per compita verum,
et forti saevos animo vicere labores.
Agmen adest niveum post hos, cui lilia frontes
circumdant ; huic juncta cohors tua pulchra manemus
natorum. Crocei sequitur post ordo coloris
inclitus, et magno fulgens splendore sonora

voce deum laudes cantat regique ministrat ;
quos inter placido vultu cantabat Asylas,
dum silvis assumpta prius sum monte levatis.

SILVIUS

Ergo, precor, noster montem conscendit Asylas ?
Emeruit, nam mitis erat fideique vetustae
praeclarum specimen : faciat Deus ipse revisam !
Sed dic, tene, precor, novit dum culmen adires ?

OLYMPIA

Imo equidem applaudens injecit brachia collo,
et postquam amplexus laetos ac oscula centum
impressit fronti, multis comitantibus inquit :
"Venisti, o nostri soboles carissima Silvi !
"De Libano" nunc "sponsa veni," sacrosque hymenaeos
cantemus, matremque viri, mea neptis, honora",
meque trahens, genibus flexis, quo pulchra sedebat
Parthenos, posuit. Laeta haec suscepit in ulnis
ancillam dixitque pie : "Mea filia, nostris
ecce choris jungere piis sponsique frueris
aeternis thalamis et semper Olympia caelo,
quae fueras terris Violantes, inclita fies",
inque dedit vestes quas cernis. Si tibi narrem
quos cantus tunc silva dedit, quos fistula versus
pastoris lyrici, credes vix ; omne per antrum
insonuit carmen montis, tantusque refulsit
ignis ut exuri dixisses omnia flammis,
et totum rosei cecidere per aera flores.

SILVIUS

Quae sit Parthenos nobis superadde, precamur.

OLYMPIA

Alma Jovis genitrix haec est et filia nati,
splendens aula deum, caeli decus, inscia noctis,
aethereum sidus, pastorum certa salutis
spes custosque gregum requiesque optata laborum.
Hanc fauni nymphaeque colunt, hanc grandis Apollo
laudibus extollit cithara dominamque fatetur ;
quae residens solio patris veneranda vetusti
a dextris geniti tanto splendore refulget
ut facie silvam montem collesque polosque
laetificet formosa nimis, cui candida circum
agmina cygnorum volitant matremque salutant,
luminis aeterni sponsam genitamque cientes.

SILVIUS

Et vos quid, pueri, plaudunt dum gutture cygni ?

OLYMPIA

Nos pueri legimus flores lactisque corollis
cingimus intonsos crines laetisque choreis
ambimus silvam fontes rivosque sonoros,
et mediis herbis ludentes vocibus altis
Parthenu placide meritos cantamus honores

et geniti laudes pariter. Quis gaudia silvae
enumerare queat, quis verbis pandere ? Nemo.
Induat ut volucres pennas quibus alta volatu
expetat et videat, opus est : sunt cetera frustra.

SILVIUS

Sunt optanda quidem : sed quis mihi Daedalus usquam
qui tribuat pennas agiles nectatque lacertis,
ostendatque viam facilem doceatque volatum ?

OLYMPIA

Pasce famem fratris, lactis da pocula fessis,
assis detentis et nudos contege, lapsos
erige, dum possis, pateatque forensibus antrum :
haec aquilae volucres praestabunt munera pennas,
atque Deo monstrante viam volitabis in altum.

SILVIUS

Quo tendis ? Quo, nata, fugis, miserumque parentem
implicitum linquis lacrimis ? Heu cessit in auras
aethereas traxitque simul quos duxit odores.
In mortem lacrimis ibo ducamque senectam.
Vos, pueri, vitulos in pascua pellite : surgit
Lucifer et mediis jam sol emittitur umbris.

## PHYLOSTROPUS

PHYLOSTROPUS

B_15
Lusimus et sertis nimium nymphisque vacatum est.
Instat hiems sidusque malum, mi Typhle, minatur
exitium pecori : non cernis summa Cephei
jam texisse nives et silvas ponere frondes ?

TYPHLUS

Quid montes spectem ? Video flavescere campos,
et cantu raucae quatiunt arbusta cicadae.

PHYLOSTROPUS

Falleris. Ast veniant segetes cantentque volucres :
nonne puer Hyacinthus erat, puer et Cyparissus ?
Florebat juvenis, cecidit dum pulcher Adonis ;
et victor florebat herus Calydonius apri.
Exarsere novi pratis jam frigore flores,
et cereris grando plenas vacuavit aristas.
Est mutanda quidem sedes, dum tempora cedunt.

TYPHLUS

Quis neget incautos quosdam cecidisse puellos ?
Ast ego si varios timeam quos astra minantur
armentis casus, nusquam mihi pascua tuta.
Hic gelidi fontes, hic pascua pinguia : quid plus ?

Caelum mite satis pecori, corylique frequentes,
glandiferae quercus et celsae vertice pinus ;
novimus hic omnes saltus et lustra ferarum :
quid potius quaeram ? Dissolvet more vetusto
sol glaciem pelletque nives frondesque redibunt.

PHYLOSTROPUS

Hesperidum tibi poma Chrysis fontesque Ticini
spondet et apricas Penei litoris umbras ;
murmure sic blando et lacrimis versuta Diones,
heu, pedibus laqueos et collo vincula nectit.
Si sors illa tuum feriat caput impia quae jam
pervigilem lucis Daphnim subtraxit et Argum
cognosces lacrimans quid nunc mea verba resultent.

TYPHLUS

Quid tandem, si vita placet ? Sunt otia nobis
exoptanda diis, et spes majora reservat.

PHYLOSTROPUS

Non prius humentem cantu secedere noctem
excubitor praemonstrat avis, quam : "Surgito, Typhle ! -
inquit amica Crisis - pete pascua, solvito saeptas ! "
Surgis iners, gelidas tenebrosa per invia valles
innixus baculo quaeris tectusque galero.
Hinc imbres quatiunt miserum lubricumque fatigat
inde solum ; nunc terga tibi nunc pectora nudat
infestus Boreas, pelles injuria vincit
aetheris adversi. Veniet sed mitior aestas :
insomnes noctes, radios dabit illa diurnos,
intentos stimulis culices ; et mungere capras,
lac palmis pressare tuis, fluvioque lutosos
nunc purgare greges manibus nunc vellera lappis.
Quas animo fessae pecudes morboque jacentes
iniciant curas taceo : spes omnia suadet.
Nam tibi parta domi requies stratumque cubile,
seu validas nemorum superare securibus ulmos,
carpere seu messes seu terram vertere rastris
cogeris in reditu. Sunt haec, precor, otia, Typhle,
exoptanda diis ? Non te Crisis optima linquit
insudare jocis juvenumque intrare palaestras ;
non dum sacra diis fumant altaria ruris.
Femina nulla minus voluit pensare labores
non ut grata tuae servet male parta quieti
sed moechis quos ipsa novos exquirit anela.

TYPHLUS

Quos nequit amplexus sibi summere, damnat iniquus
invidus extemplo. Quot moechos, quaeso, puellae
usquam novisti, mordax Phylostrope ? Narra.

PHYLOSTROPUS

Quod nolles audisse petis. Quot sidera caelo.
Testantur veteres fagi, testantur et antra
silvarum flammas Crisidis cryptaeque scrobesque,
quotque lupis misere nodos canibusque reliquit.

TYPHLUS

Ex multis unum saltem, si dicere plures
forte piget, numera ; Crisidis jam pande lupanar

PHYLOSTROPUS

non piget ; et clades pariter narrabimus ut quis
sit finis videas moechis, cultoribus atque.
Auro qui nuper Pactoli tinxit arenas
et Phrygios pavit vitulos, dilexit, et atro
tandem succubuit potato sanguine tauri.
Thymbraeique ducem pecoris non dente molossus
ex ulnis hujus movit, silvasque ruinis
Argolicis turbo delevit missus ab antris ?
Pastorem Eoum, cui Ganges grandis et Indus
potavere greges et longus culmine Taurus
pavit, in Arctoos flexus seu versus in Austrum,
e gremio Crisidis carpsit sus feta caputque
sanguine respersit putrido truncumque cadaver
exhibuit Scythicis corvis milvisque ferisque.
Silvarum praedo praegrandis et arbiter olim
Pharsalicus Crisidem tenuit ; post liquit amatam,
adversis haustis deceptus iaspide succis.
Nec tu Dametam gratum vidisse negabis
infandae juveni : cui dum Pan jussit abiret
exul in externos agros, concessit eunti
nec lacrimas, ommitto greges, non, pessima, vestes,
sed solum nudumque solo canibusque reliquit,
ni pia tunc gremio Cybeles cepisset amico :
et miserum risisse senem potuere subulci.
Quid numerem multos ? Dudum Crisis impia nobis
obtulit obscaenos, quercus has inter, amores.

TYPHLUS

Me miserum ! Quotiens ursis et ab ubere natos
eripui, quotiens tremulis pendentia ramis
mala tuli Crisidi, quotiens pullosque palumbis
subtraxi cursuque pedum jaculisque coronas
quaesivi : moechis, video. Nunc pulchra Diones
sola meas placido servabit pectore curas.

PHYLOSTROPUS

Corporis exitium fugies mentisque ruinam
si blandam fugias nimium saevamque Dionem.

TYPHLUS

Quid meruit quia blanda fui ? Dilexit amantem.

PHYLOSTROPUS

Quid meruit ? Cernis quot gignant arbuta frondes ?
Tot mala, tot maestis dedit ista pericula silvis.
Haec Nisi crinem Dictaeos jecit in agros,
Pasiphaen tauro stravit Myrrhamque nefandis
ignibus incendit, privavit vellere Phasim
quondam Dircaeo, flammas contorsit in Idam,
lumina turbavit Mopso (sic Cyrcis honores),

abstulit Alcidi clavam. Quid multa recensem ?
Plura petis ? Satis ista quidem : tu nescius erras,
dum lacrimis credis, dum summis et oscula diris
delinita malis. Has pestes mitte, precamur ;
hostes pelle, precor, diros, ne forte morentur
sedibus his captos, pluvius dum surgat Orion.

TYPHLUS

Auribus ecce lupum teneo : quos damnat amores.
Hos cupio, timeoque dolos et temporis ortum.
Praemia quis linquat Crisidis ? Quis grata Dionis
basia et amplexus ac dulces reprobet ignes,
quisve nives imbresque graves caelumque superbum
perferet, et ventos et duras aetheris iras ?
Sed quid dimoveor ? Nunc primum perdere frondes
vidimus has fagos nivibusque albescere montes.
Quae tulit Alcidamas, quae passus grandis Osiris,
non ego ferre queam ? Stipulis et carmine vitam
ducere consilium : Crisis assit et alma Diones ;
illa legat flores, imponat et altera sertum.

PHYLOSTROPUS

Decidet iste calor ; pratis armenta peribunt ;
infames stolidum rapient per devia nymphae,
teque Trinos Penosque trahent Thlipsisque Lipisque
in scotinas silvas, famuli pastoris Averni.

TYPHLUS

Aetatis placidos ludos, dum credis, amice,
teque simul perdis. Memini : cantabat inesse
pastor Epy, silvis quondam famosus apricis,
interitum menti pariter cum corpore cunctis.

PHYLOSTROPUS

Typhle, precor, sanusne satis ? Dic, improba credis
dicta senis damnata diu, cum dicat Ariston
et Samius cantet pastor cantentque bubulci
omnes Romuleos qui mulcent pectine saltus,
aeternas hominum mentes a numine lapsas
aethereo ? Firmetque Soter, qui sanguine silvas
infectosque greges pridem purgavit, in altum
scandere non sontes et laetis sedibus uti,
sic alios post fata focos intrare Typhoeos ?
Hos ego, si possem, mecum, mi Typhle, volebam
effugeres rupesque novas scopulosque videres.

TYPHLUS

Quid faciam ? Ridenda mihi, Phylostrope, suades :
certa sinam, non certa sequar ? Quis, quaeso, sequatur ?

PHYLOSTROPUS

Quid certum, dic, Typhle, tenes ? Rapit omnia tempus :
quas Amon vestit silvas, denudat Orion,
et sub sole cadit quicquid sub sole creatum est.
Verum ego perpetuos fontes umbrasque perennes
ut videas teneasque loquor, pestesque furentes

152 Chironis fugias preponens firma caducis.

TYPHLUS

153 In Siculis Arethusa jugis haec pascua servat ?

PHYLOSTROPUS

154 Non equidem, nostris nemus hoc plus distat ab oris.

TYPHLUS

155 Quis colit hoc igitur ? Thrax forsan, forte Canopus ?

PHYLOSTROPUS

156 Surgit silva virens caeli sub cardine laevo,
157 aspera dumetis et saxo infixa rubenti.
158 Praesidet insignis magnusque Theoschyrus illi
159 pastor, et emissos lambunt de rupe liquores
160 selectae pecudes paucae domitique juvenci,
161 ac herbas tenues carpunt quas undique praestat
162 ipse lapis, dum longa quidem jejunia solvant
163 quod mortale solum fecit per inania pingue.

TYPHLUS

164 Quid frustra signare locum nemus atque laboras ?
165 An visurus ego veniam, Phylostrope, silvas
166 hujus, quaeso, senis, cujus rapuisse juvencam
167 jamdudum memini, leges ritusque suorum
168 jam pedibus calcasse meis manibusque nefastis
169 carpendas porcis olim jecisse Dionis ?
170 Non veniam ; timeo vires irasque frementis.
171 Praeterea in saxum fecundas ducere capras
172 praecipis ut pereant macie scabieque geluque !
173 Non faciam ; potius nostris est vivere silvis.

PHYLOSTROPUS

174 Non hominis mores nosti ; miserebitur ultro
175 si dicas peccasse sibi veniamque preceris.
176 Quid Glaucus fecit, quid post hunc magnus Amyntas ?
177 Sed sine deveniam quo tendit sermo priorum
178 et demum, si jure potes, praemissa refelle.
179 Hinc faciles scandunt scabrosi culmina montis
180 laetaque comperiunt quae dixi pascua fronde
181 fontibus ac umbris longoque patentia tractu ;
182 non ibi fessa gelu pereunt armenta nec Auster
183 aut pinguem Boreas adversis flatibus orbem
184 concutiunt, non dira lues astrumve malignum
185 infundunt pestes : Zephyrus sacer omnia mulcet.
186 O tibi si referam quas nutriat illa puellas
187 silva parens nymphasque, deas dryadesque frequentes !
188 Ilico damnabis Crisidem turpemque Dionem ;
189 sponte quidem dices : "Satyros dimitto jocantes
190 et faunos cantusque avium placidosque colores
191 herbarum florumque" simul tu forte videbis.

TYPHLUS

192 Jam cupio : sed, quaeso, refer quis sibilus auri
193 detulit ista tuae seu si tu forsan adisti.

PHYLOSTROPUS

Arcades ac Itali firmant priscique Sicani
pastores, quibus ante datum conscendere culmen.

TYPHLUS

Quae nova lux oculis venit, Phylostrope, nostris !
Jam foveas et putre solum rupesque cadentes
insidiasque graves et saevi gurgitis iras
et pecoris pestes video, nimbosque minantes.
Adsis, pulchra Pales, supplex tua numina posco.
Optime, da veniam, pater, oro, Theoschyre, lapso.
Heu mihi, quo fugiam ? Gelidas has linquere valles
infectosque greges cupio silvasque remotas
quaerere, si possim duras fregisse catenas
quas posuere truces pedibus colloque puellae.

PHYLOSTROPUS

Vir nuper fueras Polyphemi tractus in antrum
obicibus fractis, et nunc es femina mollis.
Frange trabes animo forti postesque revelle,
reddito teque tibi ; pueris aliena sinamus,
et nostro meliora gregi nobisque petamus.

TYPHLUS

Me quoque terret iter durum vertexque levatus ;
deficient vires. Non est praesummere sani,
quod non perficias, hominis ; desistere mens est.

PHYLOSTROPUS

Nondum fregisti laqueos : tua lumina circum
obscaenae volitant volucres. Obsiste, repelle ;
est iter in primis durum, parvoque labore
vincitur inceptum. Vires praestabit eunti
ipse Soter ; nunc surge, precor ; sol vergit in undas.

TYPHLUS

Urgeor insistam. Tu primus summito callem.
Laurea, sis felix, et vos estote, capellae ;
imus ut ex Syrio carpamus litore palmas.

## AGGELOS

APPENNINUS

B_16

Angele, quis, quaeso, pecus hoc, fortassis Apollo
vallibus Amphrysi pavit, dum pastor honores
perdidit aethereos ? Videas non invidus illud
fascinet et pereat : metuunt mala murmura pingues !

ANGELUS

Appennine, reor, tibi pinguis ludit in arvo
Taurus et umbroso recubant sub colle Lycaei
nunc pastae fetaeque boves ; sis laetus et, oro,
parcius ignoscas miseris : fortuna secundis
invidet et celsas excerpsit turbine fagos.

APPENNINUS

Peccavi, fateor. Sed tu quae pascua quaeris
cum grege tam modico ? Fallor ? Ter quinque capellas,
nec plures, per rura trahis. Consistere mecum,
si libet, hic poteras : vepreta hic grata capellis,
hic fontes, hic antra novis jam tecta corymbis.

ANGELUS

Jussus in id venio, non solum jungere parvum
hic pecus hoc vestris, ast ut tibi largiar omne :
nil equidem majus potuit nunc mittere pauper
Cerretius. Dic, oro, senem novistis Etruscum,
hos inter montes et pinguia pabula, nostrum ?

APPENNINUS

Jam vidisse senem memini nostrisque sub antris
nonnunquam duros solitum recreare labores
dumque Ravennatis Cyclopis staret in antro
et fessus silvas ambiret saepe palustres
vidimus, atque Henetum dum venit cernere colles.
Sed pecus hoc claudum, servans vix pellibus ossa
quid mihi ? Silvano decuit misisse ; videret
et morbi causas, leta et medicamina morbis.
Non Arcas Siculusve fuit ! Non Ismarus olim,
non Italus pastor, cui tantum juris in agris
alma Pales dederit. Fauni nymphaeque sedentes
assurgunt homini ; silvae placidique recessus
antraque pastorum, fontes, quid multa ? Deorum
tecta patent Tusco, et patuere silentia Ditis.
Angele, huic potuit pecus aegrum mittere noster.

ANGELUS

Erubuit munus tam parvum mittere tanto
pastori, sueto tauros deducere regum
sidereosque greges, quamquam nil sanctius usquam
diligat aut optet celsis praeponere silvis :
si calamis, si voce canat, si forte susurro
murmuret ipse sibi, semper Silvanus in ore
Cerretii resonat, semper Silvanus ubique,
et pater et dominus, spes grandis et unica semper ;
teque fidemque tuam colit, Appennine, secundum.
Nunc ego per dulces, nuper tua cura, Napaeas,
Appennine, precor, parvum ne respue munus :
sunt tenues, fateor, nec multum lactis habentes
sed predulce quidem ; pomisque favisque Menalcae,
si gustent Latii, si gustes ipse parumper,
praepones. Quaeso, parvum ne respue munus.

APPENNINUS

Da sordis causam ; dabitur fortasse mederi.

ANGELUS

Pascua sunt nobis Cerreti montis in umbra,
heu, sterili nimium, nullis frondentia lucis ;
nec salices capris surgunt nec surgit ibiscus.
Lambere muscosas silices rarumque vetustis
immixtum conchis serpillum carpere cogit
aegra fames miseras ; illis hinc squalida pellis,
hinc macies tristisque color saetaeque cadentes ;
Elsa brevis fluvius post his praecordia saxum
fecit et attonitas vacuavit sanguine fibras.
Tu pingues facili facies, coeptoque favebit
consiliis herbisque suis Silvanus et undis.

APPENNINUS

Invitis nobis tenet haec nunc pascua vester
Cerretius. Scabris quidnam grandaevus in arvis
inserit aut saevit ? Quid credit, solvere rastris
exhaustas glebas grandique labore colonum
emunctas prosit ? Timeo non saeva Diones
occupet insanum. Senis est dimittere mores
nonnunquam juvenum ; lusit Galatea potentem
viribus, enervem faciet quid lusca Diones ?

ANGELUS

Absit ; nulla seni talis nunc cura, doletque
obsequio quondam nimiumque vacasse Liquoris.
Sed quid vis faciat patrios ni spectet in agros ?
Nil gregis est illi ; nec sunt sibi pascua, si sit ;
torpendum est igitur seu vomere vertere glebas.

APPENNINUS

Angele, jam nosti : non omnia novimus omnes ;
teque latet, video, quoniam persaepe remotum
Cerretium dudum vel viva voce vocarit
Silvanus, carosque greges tacitosque recessus
quos Ligurum saltus, quos servant pascua ruris
anseris antiqui, quos servant pinguis et ingens
Euganeus Venetumque palus praestare paratus.
Quae cupias majora, precor ? Venere Sicani
Dictaeique duces, Cyprii magnique quirites
et satyri faunique omnes nymphaeque deaeque
hunc inter foedas undas audire canentem ;
Panque deus calamos posuit stupefactus amicos :
et pauper noster longum sprevisse videtur !
Quid, si tantus amor, quid, si reverentia tangit,
negligit oblatum ? Veniat durosque relinquat
agrestes patriisque sinat dare semina sulcis.

ANGELUS

Ignaros quotiens, heu, fallit caeca voluptas !
Dixisti nuper : "Non omnia novimus omnes",
et merito. Nostro saeva si rusticus Amon
peste boves mediis pingues consumpsit in arvis,

pectoris ardentis multum sibi cessit Apollo.
Quem tacitum mitemque vides et rura colentem,
noluit Egonis nuper describere dulces
pellibus is pecudum quos ipse canebat amores,
dum majora legit, dum se majoribus aptum
extimat. Et dudum, dum fervidus omnia campis
sol raperet, sacra Cereri consedimus ambo
ilice sub viridi ; tunc primus verba facesso
convenioque senem : "Dic, - inquam - cernere conchas
has putres sterilique solo decerpere credis ?
Quid non Silvanum sequeris, jam saepe vocatus ? "
Ille diu corylos tacitus prospexit et inde :
"Omnia qui profert nil dat, mihi maximus Egon
jam dixit. Midas pridem, dum fortior aetas,
jusserat illud idem : cujus dum credulus intro
festinus silvas, Gaurum Baiasque saluto
fontibus insignes, et pascua credo parari
non tauris, parvo pecori parvoque subulco,
hospes suscipior placidi Stilbonis in antrum.
Ast Midas patitur ; nec tandem pabula dantur
nec vocor ut veniam sumpturus prandia secum.
Miror et indignor pariter mecumque revolvo :
"Quid nunc, si lucos intrassem injussus apricos
aut si maturis tenuissem messibus apros
vel si vinetis olidos crescentibus hircos
liquissem ? Nullis veniebam candidus undis,
postquam despicior sic accersitus et insons.
Pascua sint Midae quae spectat lata Vesevus
meque meus tenuis letum prospectet agellus."
Flecto gradum volucer repetens vestigia retro.
Maenalios persaepe lupos ursosque coegit
in laqueos exire suos sudoribus Arcas,
post haec captivos nemori solvebat aperto,
jam satur. Heu, votis misere sic angimur omnes,
et si succedant satis est : hinc linquimus ultro.
Quid si Silvanus faceret ? Non dulcius esset,
quaeso, mori ? Tentare deos stultissima res est.
Pan nobis praegrande dedit, nec spernere munus
est animus : paucis contentor munere Panis.
Silvestres coryli pascunt, dat pocula rivus,
dant quercus umbras, dant somnos aggere frondes,
cetera si desint, lapposaque vellera tegmen
corporis effeti ; quibus insita dulcis et ingens
libertas, quae, sera tamen, respexit inertem".
Conticui : quis jure queat praevertere dictum ?
Tu tamen interea parvum jam suscipe munus.

APPENNINUS

Sat dictum. Fiat, sit nostrum. Claudicet esto,
nam praegnans video, prolem sperasse juvabit
et cepisse novam. Surgunt ex montibus altis
sidera ; sis mecum. Nostro hoc tu jungito, Solon.